ANALYSIS LOGICA

IN EPISTOLAM PAULI APOSTOLI AD GALATAS.

Authore

D. ROBERTO ROLLOCO
Scoto, Ministro Jesu Christi, & Rectore Academiæ Edinburgensis.



LONDINI,
Excudebat FELIX KYNGSTONVS.
cIↃ IↃ cII.

IN EPISTOLAM
PAULI APOSTOLI
AD GALATAS.



EXIMIO VIRO

ET AMICO SUO SUMME DILIGENDO ET OBseruando *Guilelmo Scoto* ab Elie, S. & G. per Christum.

IEsum Christum unicum salutis humanę fundamentum esse, in quo nos in peccatis & offensis mortui justitiam & vitam recuperamus, luculenter testatur Apostolus dum prædicat eum factum esse nobis à Deo sapientiam, justitiam, sanctificationem & redemptionem; eóque profitetur se inter Corinthios nihil scire decreviſſe nisi Jesum Christum, eumq; crucifixum; & alibi eminentiam cognitionis ipsius tanti facit ut ejus causa omnibus seipsum multaverit, eaque ut Christum lucrifaceret pro stercoribus duxerit. Hoc fundamentum Satanas, vetus ille & astutus salutis nostræ hostis, omni ratione semper convellere conatus est: primùm quidem per obstinatos illos & contumaces Judæos, contra quos disputat Paulus in celeberrima illa ad Romanos epistola, qui nescientes per lapsum deperditam esse omnem naturæ sanctitatem & bonitatem, nulloque miseriæ suæ sensu affecti, pro Christo ipsiusque merito substituerunt bona & justa naturæ opera, quibus solis eam vim tribuerunt ut nos coram Deo justificent & salutem mereantur. Deinde cum hac ratione (utpote aperriore quàm ut clarescente jam Euangelii luce regno Christi multùm incommodare posset) minùs proficeret, alia, & ea quidem occultiore via, grassatus est per eos Judæorum qui fidem Christia-

nam in speciem amplexi, legis se zelo teneri simulabant. His solo Christo non contenti cum eo legem & naturæ opera, in negotio salutis & justificationis humanæ, conjunxerunt. Quorum vestigiis etiamnum insistentes Pontificii, pro natura ex parte bona & sancta pugnant adversus Christum solum; & partiuntur quasi justificationem & salutem humanam inter Christum gratiamque Dei, & naturæ vires & opera. Adversus hoc hominum genus ex professo videtur Apostolus disputare in hac ad Galatas epistola, in qua semper inculcat nullo modo simul consistere posse in opere salutis humanæ gratiam & naturam, Christi mortem sive merita & opera legis; & eum qui naturam, vel naturæ partem aliquâ, associat gratiæ, gratiam planè destruere, quæ vel sola est vel nulla: ut cum dicit, Ex fide Christi nos justificari & non ex operibus legis: Si per legem est justitia Christum sine causa mortuum esse: &, Dei gratiam (quæ tota est in Christo, ejusque passione) abrogari: eos qui legis opera cum Christo conjungunt fascinatos esse ut veritati non obsequantur: legem non esse ex fide (hoc est, legi cum fide, utpote cum ea planè pugnante, convenire nullo modo posse) hæreditatem si ex lege est non jam esse ex promissione: concluisse Scripturam omnia sub peccatum ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus: filium Dei factum esse legi obnoxium, ut eos, qui legi erant obnoxii, redimeret: inanes factos esse Christi quicunque per legem justificantur, & à gratia excidisse: in sola cruce Domini nostri Jesu Christi gloriandum esse, & hujus generis alia permulta, quæ hanc epistolam legenti passim occurrunt, quibus clariora & illustriora testimonia adversus blasphemam Pontificiorum de justificatione hominis coram Deo sententiam quis desideret? Itaque hanc epistolam cum vidisset fœlicis memoriæ *D. Kolloeus* inprimis utilem ad unicum illud salutis fundamentum stabiliendum, veram de hominis justificatione doctrinam confirmandam, & discipulorum suorum animos adversus nefandum illum adversariorum de summo illo & inprimis necessario religionis capite er-

rorem

rorem muniendos, suscepit, non tam prælegendam, quàm Analysi logica in Scholis nostris Edinburgenis illustrandam; quæ, etsi brevis sit & succincta, adeò tamen plana est ac perspicua, Apostoli mentem ubique tam clarè aperiens, ut non oscitanti lectori justi commentarii vicem supplere possit. Hanc ego Analysin, licet seriùs fortasse quàm oportuit absolutam, pro multitudine tamen occupationum mearum maturatam, offero nunc tibi, vir eximie, non meo, sed *Rolloci* nomine, qui properantem jam desideratissimam illam ἀνάλυσιν expectans, tibi consecrari, & sub tuis auspiciis prodire voluit omnia opuscula, quibus ipse in summa corporis ægritudine extremam manum imponere, & lucis usuram impendere non potuit. Cum enim ingentem beneficiorum cumulum in eum congessisses, parem tantis meritis gratiam rependere se non posse professus; quod solum potuit, animi gratitudinem testatus est, beneficentiâ tuâ omnium seculorum memoriæ commendatâ. Itaque nominatim singulis hisce opusculis solennia hæc dedicationis verba Testamento præscribi mandavit, [GUILIELMO SCOTO IN PERPETUUM TESTIMONIUM AMICITIAE NOSTRAE DEDICO CONSECROQVE.] Hoc autem munusculum etsi tuis in *Rollocum* meritis haudquaquam respondeat, scio tamen tibi fore gratissimum, ut qui omnia à tam eximio Dei organo profecta magni facere & in summo pretio habere solitus sis, & nunquam desiteris operum *Rolloci* editionem (tum vivo, tum vita functo authore) urgere, ut si quid utilitatis ad Ecclesiam Dei ex *Rolloci* laboribus, præsertim autem hisce postremis, pervenerit, illud tibi magna ex parte acceptum sit ferendum. Vale: Edinburgi, Idibus Julii 1602.

HENRICVS CHARTERIS.

EPISTOLÆ PAULI AD Galatas Argumentum.

GAlatas tradunt historici ex Gallis oriundos, qui cum tanta multitudine abundarent ut eos regio capere non posset, multa hominum millia ad novas sedes quærendas emiserunt, quorum alii in Italiam, alii in Pannoniam, & inde in Græciam & Macedoniam irruperunt. Hi cum diu incertis sedibus vagati essent, tandem eam Asiæ minoris partem occuparunt quæ Bithyniam & Cappadociam interjacet, quæ regio deinceps ab ipsis Galatia & Gallogræcia cognominata est. Tanta autem potentia olim floruerunt ut magna pars Asiæ minoris illis esset tributaria, donec à Cn. Manlio Consule Romano prælio victi & subacti in Romanorum ditionem concessissent. Fuerunt verò Galatæ ab ipso Paulo instituti in pura & sincera Euangelii doctrina, in qua etiam aliquantum profeceravt; verum post discessum Pauli statim sibreperunt pseudoapostoli quidam ex Judæis, qui Euangelii sinceritatem perverteutes persuaserant Galatis cum Christo conjungendam esse legis Mosaicæ observationem, & docebant non posse ipsos servari per Christum nisi etiam circumciderentur & legis jugum subirent: interea conati sunt elevare authoritatem Pauli, Apostoli jus ac dignitatem ei detrahentes, ut doctrina ipsius eò magis apud Galatas vilesceret. Audita hac Galatarum defectione Paulus hanc ad ipsos epistolam scripsit, qua & authoritatem Apostolatus sui adversus pseudoapostolos asserit, & veram doctrinam de justificatione & salute per solum Christum exclusis operibus legis acquirenda confirmat, & Galatas ob defectionem acerrimè objurgat. Sunt autem epistolæ hujus partes omninò quatuor: prima est salutatio adversum 6. capitis primi: secunda est apologia & defensio Apostolatus

postolatus sui, à vers. 6. capitis primi ad vers. 15. capitis secundi: tertia est ipsa doctrina, à vers. 15. capitis secundi ad vers. 11. capitis sexti: quarta est conclusio ad finem epistolæ. Apologiam orditur à reprehensione inconstantiæ & vanitatis Galatarum, & execratione pseudoapostolorum, qui defectionis illius & inconstantiæ erant authores, à vers. 6. cap. primi ad versum 13. cap. ejusdem. Tum ad Apostolatum suum asserendum & vindicandum à calumniis adversariorum, qui ipsum in dubium vocârunt: & ut clarè constet se hominum ministerio non vocatum, nec ab homine edoctum esse, sed per revelationem Jesu Christi, historiam contexit vitæ suæ anteactæ, primùm in Judaismo ad V. 15. cap. 1. deinde in Christianismo ad V. 15. capitis secundi. Doctrina partim est de justificatione hominis sive justificationis modo, partim paræneticа est & moralis. Ad doctrinam de modo justificationis transit capitis secundi vers. 15. & priori parte vers. 16. In altera parte vers. 16. propositio est institutæ doctrinæ, Non justificari hominem ex operibus legis: ubi intelligenda est affirmativa propositio negativæ huic contraria, justificari hominem per Christum, sive per fidem Jesu Christi, cujus bis mentio facta est eodem illo versu. Ad hujus propositionis confirmationem accedit vers. 21. capitis secundi, & vicissim pluribus argumentis, ad versum 15. capitis tertii, nunc quidem confirmat justitiam per fidem, nunc verò refutat justitiam ex operibus. Nam versu 21. capitis secundi refutat justitiam ex operibus. V. 6. capitis tertii & deinceps usq; ad V. 10. duobus argumentis confirmat justitiam ex fide. V. 10. & deinceps refutat rursus justitiam ex operibus. Hanc disputationem duabus digressionibus interrumpit, quarum priore occupat argumentum adversariorum contra propositionem institutã, eique respondet, à vers. 17. capitis secundi ad vers. 21. Posteriore autem ex indignatione egreditur in vehementem reprehensionem defectionis Galatarum, à versu 1. capitis tertii ad vers. 6. A vers. autem 15. capitis tertii ad vers. 7. capitis quinti demonstrat duas propositiones, principali illi propositioni de justificatione per fidem, affines: prima est legem nõ abrogare promissionem, quam pertractat à vers. 15.

capitis

capitis tertii ad verſ. 23. capitis ejuſdem: ſecunda eſt veniente fide legem non ampliùs eſſe pædagogum, vel, quod idem eſt, nos non ampliùs eſſe ſub lege, ſed legem nobis quodammodò eſſe abrogatam. Hanc propoſitionem fusè oſtendit à verſu 23. capitis tertii ad verſ. 7. capitis quinti. Oſtendit autem eam diſſimili cõditione Judæorum ante Chriſti adventum & poſt ejus adventum, ſub finem capitis tertii. Hanc diſſimilem conditionem primùm illuſtrat ſimilitudine conditionis hæredis, à 1. verſu capitis quarti ad verſ. 8. Deinde eandem illam diſſimilem conditionem docet per figuram quandam ex ipſa lege deſumptam; inde concludens nos non eſſe ſub lege, ſed ſub gratia, à verſ. 19. cap. quarti ad caput quintum. Capite quinto ex doctrina illa de legis abrogatione infert exhortationem ad perſeverantiam in libertate, in qua exhortatione immoratur ad verſ. 7. Et hæc quoque tractatio digreſſionibus aliquot eſt interrupta: prima eſt in reprehenſionem Apoſtaſiæ Galatarum, qualis fuit etiam cap. 1. verſ. 6. & deinceps, & cap. 3. verſ. 1. & deinceps: qualis etiam habetur capite quinto, à verſu 7. ad 13. (nam in hac epiſtola tam frequens eſt in reprehenſionibus, ut incertum videri poſſit magiſne ex inſtituto doceat an reprehendat) hæc digreſſio eſt à verſ. 8. capitis quarti ad verſ. 12. Altera eſt qua hortatur Galatas ad mutuum erga ſe amorem, à verſ. 12. ejuſdem capitis ad verſ. 19. Doctrinam hanc de modo juſtificationis ſequitur doctrina paræ-netica de Chriſtianis moribus, quæ primùm generalis eſt à verſ. 13. cap. quinti ad verſ. 26. capitis ejuſdem: deinde ſpecialis, à verſu 26. cap. quinti ad verſ. 11. capitis ſexti: quo loco concluſio eſt epiſtolæ, in qua ad detegendum pſeudoapoſtolorum fucum & Galatarum animos à falſa ipſorum doctrina avocandos, inſtituta comparatione depingit ante oculos Galatarum pſeudoapoſtolorum ingenium & ſuum, ad finem capitis ſimul & epiſtolæ hujus.

ANALYSIS LOGICA IN EPISTOLAM *Pauli ad Galatas.*

ANALYSIS CAP. I.

ARGUMENTUM.

Huius capitis tres sunt partes. In prima parte est salutatio ad versum sextum. In secunda parte assertionem Apostolatus sui aggreditur, reprehendendo Galatarum inconstantiam, eiusque authores pseudoapostolos execrando ad versum 13. In tertia parte ad Apostolatum suum asserendum historiam vitæ suæ anteactæ contexit, in qua persistit ad versum 15. cap. 2.

PAulus Apostolus (non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, ac Deum Patrem qui suscitavit eum ex mortuis)

2 *Quique mecum sunt omnes fratres, Ecclesiis Galatiæ:*

3 *Gratia vobis & pax à Deo Patre & Domino nostro Jesu Christo:*

4 *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eximeret nos ex præsenti seculo malo, secundum voluntatem Dei & Patris nostri:*

5 *Cui sit gloria in secula seculorum. Amen.*

Paulus] Salutatio, in qua consideramus primùm personas salutantes, deinde personas salutatas, postremò bona quæ à personis salutantibus optantur salutatis. Persona salutans prima est Paulus: cujus nomini adjectum est epitheton officii Apostolatus.

Non ab hominibus] Egreditur in descriptionem quandam Apostolatus sui in eum finem ut ipsum vindicet à contumelia adversariorum, qui Apostolatum Pauli in

quæstionem vocârunt: Descriptio est Apostolatus ipsius à causis suis; causæ sunt Jesus Christus, & Deus pater: Explicantur causæ Apostolatus Pauli veræ à causis diversis, & iis quæ causæ non sunt: sive quod idem est, explicantur causæ veræ κατ' ἀφαίρεσιν & remotionem eorum quæ non sunt causæ. Sunt autem eæ homines nimirùm ψιλοὶ & nudi: nam Jesus Christus etiam homo est, sed non homo tantum. Hominem arcet ab Apostolatu suo duplici respectu, primùm arcet eum ab Apostolatu suo, ut primum efficientem & authorem. *Non ab hominibus*, inquit, nempe ut primis authoribus Apostolatus mei. Primi authores Apostolatus, & omninò vocationis cujusque sunt, qui primi mittunt aliquem in vocationem, & segregant quasi hominem mittendum ab aliorum hominum numero, eumque instruunt mandatis, ac reddunt functioni aptum: verbi gratia, Deus non tantùm Apostolorum, sed & omnium in Ecclesia sua verè ministrorum primus autor est, quia ipse est qui solus segregat eos è reliquorum hominum numero, & satis instructos donis mittit ad officium quodvis obeundum in Ecclesia sua: Estque hæc prima pars vocationis nempe missio à primo autore profecta. De hac prima parte vide Rom. 12. 6. 7. Habentes, inquit, diversa dona pro gratia quæ vobis data est, sive Prophetiam, sive ministerium, &c. Ergo prima pars vocationis consistit in dono & mensura gratiæ, quæ data est vnicuique: De hac quoq; prima vocationis parte vide 1. Cor. 12. 28 Et alios quidem constituit Deus in Ecclesia, primũ Apostolos, deinde Prophetas, tertiò Doctores. Vide etiam de hac prima parte vocationis, Eph. 4. 11. Dedit alios quidẽ Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores. De hac quoq; vocationis parte prima vide Act. 1. 24. Et precantes dixerunt, tu Domine qui corda omnium nosti ostende utrum ex his duobus elegeris. Act. 6. 3. Dispicite ergo fratres ex vobis, &c. vide quoque 1. Tim. 3. 2. Oportet Episcopum irreprehensum esse: & Tit. 1. 7. Oportet Episcopum inculpatum esse, &c. Prima enim pars vocationis, & prima quasi missio Dei, consistit in donis quibus instructum hominem

minem segregat quodammodo è numero reliquorum ad functionem aliquam in Ecclesia sua obeundam. Donis istis ordinariè concessis non secus etiam hodierno die segregat homines ad ministerium suum, quàm olim in primitiva ecclesia datis donis extraordinariis, clara voce Apostolos suos segregavit, ut de Pauli & Barnabæ segregatione legimus Act. 13. 2. Segregate mihi Barnabam & Saulum operi, ad quod eos advocavi. Est igitur prima hæc vocationis pars communis omnibus ministris in Ecclesia Dei.

Neque per hominem] Arcet deinde hominem ab Apostolatu suo, tanquam Apostolatus & vocationis ministrum, vel causam administram. Estque hoc prærogativa muneris Apostolici, quòd cum ordinarii in Ecclesia Pastores vocationem habeant suam aliqua ex parte per homines, hominumque ministerium; Apostoli non fuerunt ad functionem suam per hominum ministerium admissi, sive ordinati, sed per eundem illum Christum qui vocationis ipsorum autor primus extiterat. Quare Apostolorum vocatio tota fuit à Deo, neque subjecta fuit ordinariæ, & receptæ consuetudini in instituendis Ecclesiæ ministris.

Sed per Jesum Christum] In descriptione Apostolatus sui designat potissimum causam quasi ministram, quia de ea controversia fuit maximè. Nam hoc peculiare fuit Christi Apostolis, non quidem quòd à Deo tanquam primo vocationis autore fuerint (hoc enim Apostolis commune est cum omnibus in Ecclesia verè ministris) sed quòd per Deum fuerint, hoc est, quòd ordinatio quasi eorum, & ut loquuntur, inauguratio, sive ad vocationem admissio per ipsum Deum, à quo primùm fuerunt missi, exiterit. Neque enim alium habuerunt missionis suæ authorem, aliumve ordinationis suæ ministrum: verum ordinatio eorum, ut sic dicam, extraordinaria fuit & à Deo immediatè: unde dicuntur Apostoli, & ante eos Prophetæ, à Deo ἀμέσως & immediatè vocati esse: quia nimirum per Deum tãquam ministrum vocationis suæ, non per hominem vocati sunt. In vocatione igitur Apo-

stolorum, idem fuit author, & efficiens prima & causa administra. In vocationibus verò in Ecclesia ordinariis, alia est causa efficiens & principalis, nempe Deus; alia administra, nempe homo. *Jesum Christum* primùm nominat, deinde Deum patrem, non sine causa aliqua, ut videtur: Innuitur enim hoc ordine personam vocantem proximè fuisse filium Dei, verùm non vocatum Paulum à filio sine voluntate patris, à quo primùm profecta est Pauli vocatio & Apostolatus. Unde in utraque ad Corinth. epist cap. 1. *V.* 1. dicit se Apostolum Jesu Christi per voluntatem Dei: nam Jesus Christus per spiritum suum proximè dat omnia dona hominibus, dat Apostolos, dat Prophetas &c. uno verbo, dat spiritum sanctum, & omnia spiritus sancti dona: verùm dat ea, ut loquitur Christus Joh. 15. 26. à patre suo tanquam spiritus & omnium donorum ipsius primo fonte. Cum venerit, inquit, consolator ille, quem ego mittam vobis à patre.

Qui suscitavit eum] Brevi hac Dei patris descriptione, non tantum innuitur Dei potentia quæ tum maximè apparuit quum suscitavit filium suum ex mortuis, vide Ephes. 1. 20. Rom. 1. 4. sed etiam gloria ipsius Christi, qua eum ipse deus pater affecit: nam tum primùm post mortem cœpit pater glorificare filium cum eum ex mortuis suscitavit. Atque hæc est illa gloria quam precatur dari sibi à patre Joh. 17. 1. Pater, venit hora illa, glorifica filium tuum.

Quique mecum] Secunda persona salutans, in genere comprehensa fratrum omnium nomine, qui vna cum ipso Romæ erant.

Ecclesiis Galatiæ] Personæ sunt salutatæ, nimirum particulares omnes Ecclesiæ Galatiæ, quæ fuit regio Asiæ minoris, quam Galli olim incolebant, quæ & Gallo-Græcia dicta est.

Gratia vobis] Hæc sunt bona quæ personæ salutantes optant salutatis: optant quidem ea ab authoribus suis & fontibus, ex quibus solis promanant: Deo patre tanquam primo fonte omnium bonorum, ut qui sit prima illa gloriosæ trinitatis persona: & Deo filio tanquam secundo

cunda fonte omnium bonorum, ut est secunda illa trinitatis persona. Gratiæ nomine intelligo per metonymiam gratiæ Dei effectum, quam Paulus Rom. 5. 2. gratiam vocat in qua stamus. Est autem gratia reconciliationis cum Deo, & justificationis, ex qua deducit Apostolus ibidem pacem erga Deum, hoc est, tranquillitatem & bonæ conscientiæ lætitiam. Hæc enim est illa pax quam potissimùm hoc loco optat Galatis, etsi hoc nomine prospera omnia alioqui significentur in vulgari illa Hebræorum salutatione.

Qui dedit semetipsum] Christi quædam descriptio subjecta est, ad hoc ut videant Galatæ eum quoque authorem ac fontem esse gratiæ ac pacis. Est autem descriptio Christi ex effecto illo tam voluntariæ donationis sui, ac traditionis in mortem pro peccatis nostris. Pater quidem tradidit pro nobis filium suum, Rom. 8. 32. verùm ipse quoque filius voluntate sua se tradidit. Nisi enim voluntate sua pro nobis mortuus fuisset, profectò mors ipsius pro peccatis nostris, justitiæ patris non satisfeciſſet. Neque enim nisi voluntaria fuisset mors Christi, obedientiæ nomine dici potuisset: nam obedientiam omnem oportet voluntariam esse. Ergo mors Christi pro nobis non tantùm nobis expendenda est ac ponderãda ex eo quòd Christus extrema omnia passus sit nostra causa; verùm ex eo quòd summa voluntate omnia passus sit, & sua sponte se exinaniverit, & obediens factus sit Patri ad mortem usque, mortem autem crucis, Philip. 2. 7. 8. etc. Neque tantùm placet mors Christi Deo patri suo, ideò quòd ex voluntate Christi hominis fuit (nam etiã Christus qua homo, summa voluntate mortuus est) sed multò magis quòd ex voluntate λόγου & filii Dei fuit. Obedientia enim Christi maximè pendet ex voluntate ipsius, qua Deus est in persona filii: ut & inanitio illa deitatis in persona filii, & obscuratio quasi quædam divinæ gloriæ in persona filii, quæ tunc temporis fuit, cum assumpta illa natura hominis passa est omnia, illa (inquam) inanitio deitatis in persona filii pro satisfactione, qua satisfit justitiæ divinæ, vel inprimis habenda est. Hinc igitur est

quòd mors Christi usque adeò placeat Deo patri, & pater in ea tanta quasi cum voluptate conquiescat. Hinc (inquam) est vel inprimis, quòd filius ut patrem glorificaret se exinaniverit. Primùm assumpta forma servi, &c. Deinde quòd summa cum voluntate se exinaniverit. Inde vulgò dicimus valorem sacrificii Christi tantum, tantúmque ipsius meritum pendere ex dignitate personæ filii Dei, quæ ὑποστατικῶς habitat in humana & assumpta natura. Satisfactionis enim & meriti ratio petenda est primùm ex deitate in persona filii, ex voluntate deitatis illius & ex exinanitione deitatis illius in persona filii submittentis se propter Patris sui gloriam.

Vt eximeret nos] Finis est facti Christi in tradendo se in mortem, est autem exemptio nostri, hoc est, electorum ex præsenti sæculo malo: In eundem hunc sensum dicitur, Act. 2.40. Servamini ex natione ista prava. Hinc duo sequuntur, primum id quod habet Apostolus Ephes. 2.3. Nos olim versatos esse in offensis ac peccatis, ut & reliquum mundum, nos omnes conversatos esse in cupiditatibus carnis. Denique fuisse nos naturâ filios iræ ut etiam reliquos: De hoc quoque vide Tit. cap. 3.3. Nam eramus quondam amentes, rebelles, &c. Deinde ex hoc loco apparet mortis Christi non hunc esse finem, ut omnes sine exceptione serventur, etsi mors Christi alioqui in se sufficiens sit ad seruandos omnes citra exceptionē. Vnde ipse apud Johannem cap. 12.47. Non veni (inquit) ut condemnem mundum, sed vt servem mundum, etiam, si fieri possit, ipsos reprobos. Non enim stat per sufficientiam mortis Christi, quin omnes reprobi serventur: verùm si consilium Dei, & efficaciam mortis Christi, hoc est, ipsum effectum, quem reipsa in hominibus habet, spectes, finis mortis Christi magis propriè est vt eximat quos ab æterno elegit per vocationem efficacem in tempore, eximat (inquā) è reliquo mundo jam olim descripto ad damnationem, & exemptos justificet, ac servet. Ergo aliquo pacto duplicem mortis Christi finem statuere possumus: priorem, vt omnes sine exceptione serventur; vnde Deus dicitur servator omnium, maximè

fide-

fidelium: Servator, inquam, est omnium, si divinæ voluntatis approbationem simpliciter spectes, & mortis Christi sufficientiam. Posteriore dicere possumus finem, qui magis propriè finis est, id quod cõspici potest, ex illis ipsis Apostoli verbis, eum dicit servatorem esse maximè fidelium. Posterior ergo & propriùs finis est, ut exemptos aliquot è reliquo mundo justificet, & servet. Hic finis pendet non ex approbatione Dei simpliciter, sed ex decreto efficaci, neque ex sufficientia tantùm mortis Christi, sed ex efficacia. Quod ad mundum attinet testis est Apostolus 1. Cor. 11. 32. Mundum, hoc est, majorem mundi partem & hominum multitudinem condemnatum iri. A Domino, inquit, erudimur, ne cum mundo condemnemur: Ergo mundus condemnabitur.

Secundum voluntatem.] Exceptionem hanc & conservationem electorum etiam Patri tribuit, tanquam fonti primo omnium bonorum, quæ ad nos per Filium Jesum Christum perveniunt. Voluntas hæc Patris non est approbationis simpliciter, sed decreti, alioqui enim vult omnes salvos fieri, etiam ipsos reprobos, 1. Tim. 2. 4.

5. *Cui sit gloria.*] δοξα, qua bene precatur Galatis, desinit in glorificationem Dei Patris: ut enim illis optat gratiam & pacem à Deo, ita Deo optat suam gloriam, & eam quidem æternam. Gratia enim Dei in homines, ut à Deo est, ita in Dei gloriam debet redundare. Ex eo, & per eum, & in ipso sunt omnia, ipsi sit gloria in sæcula, Rom. 11. 36. Ex hac Apostoli optationis sive precationis formula, discimus concludendas esse preces nostras & petitiones omnes cum glorificatione nominis Dei, ac Dei illius à quo omnia petimus, ut vel ea re significemus nos non tam respicere bonum aliquod creaturæ, quàm creatoris & servatoris gloriam, quam respicientes preces pro creatura fundimus, & ipsi bona à Deo exoptamus.

6 *Miror vos ita citò, deserto eo qui vocarat vos in gratiam Christi, transferri in aliud Evangelium.*

7 *Quod non est aliud: sed nonnulli vos turbant, & volunt invertere Euangelium Christi.*

8 *Sed etiamsi nos, aut Angelus è cœlo euangelizet vobis præter id quod vobis euangelizavimus, anathema esto.*

9 *Vt ante diximus, etiam nunc iterum dico, Si quis vobis euangelizaverit præter id quod accepistis, anathema esto.*

10 *Nunc enim* utrum *homines an Deum suadeo? aut quæro hominibus placere? Enimvero si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.*

11 *Notum autem vobis facio, fratres, Euangelium prædicatum à me, non esse secundum hominem.*

12 *Neque enim ego ab homine id accepi, neque edoctus sum, sed* illud *patefaciente* mihi *Jesu Christo.*

Miror vos ita] Secunda pars epistolæ pariter & capitis, in qua agitur apologia, & defensio Apostolatus sui. Orditur autem eam à reprehensione inconstantiæ, ac vanitatis Galatarum. Reprehensio aperta non est, qualis est posteà cap. 3. 1. sed subobscura, & per admirationem (quæ est exclamationis quædam species) tractata. Ergo admiratur potiùs eorum inconstantiam in doctrina Euangelii à se prædicati, quàm reprehendit eam. Atque hæc mitigatio severitatis illius qua meritò agere potuisset cum Galatis; admonet non temerè initium sermonis faciendum ab objurgationibus & reprehensionibus, sed paulatim prima facie movendos hominum animos, & flectendos, imò informandos ac instituendos in rei ipsius veritate: tum deinde veniendum esse ad severiorem agendi rationem. Non tamen hoc loco, ita sedato animo est Apostolus ac quieto, quin aliquam certè, & non mediocrem quidem eam, commotionem animi, & affectionem admiratione hac sua præ se ferat. Admiratio enim omnis, ut & exclamatio, existit ex vehementiori aliquo affectu: sententia admirationis est: miror vos traductos esse à me in aliud Euangelium, idque tam citò. Ergo admirationis causæ sunt, primùm factum eorum, deinde facti celeritas: admiratur enim traductos ac

translatos eos tam citò. Pro nomine suo habet circumscriptionem

[Deserto eo qui vocaverat vos] Atq; id modestiæ Apostoli commendat: neq; dicit simpliciter translatos à se vocante, sed à se vocante ad tantã gratiam, quo significat non tam defectionem à se factam, quàm à gratia Christi, atque ita aggravat eorum inconstantiam & *κακοηθειαν*. Est igitur terminus, ut loquuntur, à quo, translationis & mutationis hujus, Paulus, sed non simpliciter, verùm Paulus vocans ad gratiam Christi. Nam deficere à Paulo per se nihil est; at deficere à Paulo vocante ad gratiam Christi, grave est: id enim est non tam deficere à Paulo, quàm deficere ab ipsius Christi gratia. Unde notandum, defectiones istas hominum in Ecclesia Dei non tam ponderandas esse ex ipsis hominibus, sive pastoribus sive aliis Ecclesiæ membris, quàm ex gratia hac ad quam vocant pastores, & quæ est in Ecclesia Dei. Terminus autem ad quem, ut vocant, est Euangelium aliud. Notandum etiam hoc, quod non tam dicat eos transfugisse activè loquendo, quàm translatos esse, passivè loquendo, ea re inconstantiam eorum ac defectionem non tam imputans ipsis, quàm impostoribus pseudoapostolis, ideoque affectionem totam, quæ hoc versu duntaxat inchoata est, effundit postea in pseudoapostolos denunciato adversus eos anathemate v. 8. & 9.

Quod non est aliud, &c.] Corrigit quod dixit proximè, in aliud Euangelium translatos ipsos, interpretatione quadam alius Euangelii: aliud enim quod dixit Euangelium non tam planè aliud & diversum interpretatur, quàm unum idemque Christi Euangelium, sed perversum, & ut vim verbi sequamur, transversum, hoc est, transversum à sinceritate sua, in Euangelium quoddam mixtum, adjecta circumcisione, adeoque tota lege Mosaica. Vide Galat. 2. 3. & Act. 15. 1. & deinceps. Notandum quòd pro eadem sumat hoc loco, hæc duo *[Nonnulli vos turbant, & volunt invertere Euangelium Christi]* Nam ex his, posterius est prioris quædam definitio. Revera enim turbantur homines, & cruciantur eorum conscientiæ,

denique

Denique impelluntur atque agitantur cùm transferuntur à sinceritate Euangelii Christi, & ab illa pace ac tranquillitate animi, quæ est ex puro sinceróque Euangelio, vnde posteà cap. 5. vers. 12. de impostoribus qui Euangelium invertunt, ait, utinam abscindantur qui vos inquietant: hoc est, mutant animos vestros, neque sinunt quiescere in gratia sola, ac sinceritate Euangelii Christi. Neque enim stabiliri potest anima hominis, aut conquiescere, nisi in sola Dei per Christum gratia.

Invertere] Hoc idem videtur significare cum eo verbo quod habet 2. Cor. 2. 17. cauponari, & quod habet 2. Corinth. 4. 2. falsare. Nam invertere Euangelium, quod dicitur hoc loco, nihil aliud est, quàm cauponari, vel falsare sermonem Dei, quod est, ut apparet 2. Cor. 2. 17. Non ex sinceritate de Christo loqui, hoc est, non proponere Euangelium Christi sincerum ac impermixtum, sed alia re adventitia, & adversaria admixtum, ut lege Mosaica, sapientia & philosophia humana. Atque hactenus reprehendit, sive admiratus est potiùs Galatarum inconstantiam ac vanitatem. Ex qua illud semel discimus admirabilem esse hominum vanitatem in iis præsertim quæ sunt Spiritus Dei, & rebus religionis, quam tantam dicit esse Apostolus Ephes. 4. 14. Ut circumferantur homines quovis vento doctrinæ. Remedium huic malo unum eodem ad Ephes. capite affert, perpetuum in Ecclesia Dei ministerium: aperte enim dicit: Ideò datos Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Pastores & Doctores in hunc finem, ne simus ampliùs pueri, qui fluctuemus, & circumferamur quovis vento doctrinæ.

& Sed etiamsi nos] Totus hic locus patheticus est, & quidé variorum affectuū. Principio enim orationis suæ, affectus fuit admirationis; nunc verò affectus est imprecationis, vel execrationis. Execratio hæc, ut & superior illa admiratio, exclamationis quædam species est. Quare dicendum est, Apostolū persistere in incœpta illa exclamatione, neq; persistere modò, sed etiam exclamando altiùs assurgere. Nam imprecatio hæc sive execratio, sublimi-

sublimior est ac vehementior admiratione illa. Sed ad rem, ut priùs miratus est inconstantiam, ac vanitatē Galatarū, ita nunc execratur inconstantiæ illius ac defectionis authores. Execrationis sententia hæc est: Si quis euangelizaverit vobis præter id quod nos euangelizamus anathema esto. Verùm primùm est execratio specialis, & denunciatio in certas quasdam personas, sed hypothetica, ut sic loquar, non autem simplex: denunciat enim anathema in se, & in Angelum, non simpliciter, sed conditionaliter. Si, inquit, nos aut Angelus è cœlo, &c. hypothetica hac & conditionali denunciatione, etiam in Angelum, subobscurè innuit quantum anathema, quanta execratio maneat homunciones Pseudoapostolos. Solet enim Paulus docendo, vel admonendo, vel etiam execrando, ut hoc loco, suam ipsius personam vel digniorem aliquam aliam substituere, ad hoc ut magis moueat, vel aliud quod minus est subinnuat, ita enim ipse profitetur 1. Cor. 4. 6. Hæc autem, fratres, figurâ quadam transtuli ad meipsum & Apollo propter vos, vt in vobis discatis supra id quod scriptū est non sapere. Anathema hoc, & execratio facilè perspicitur ex zelo Christi, & Euangelii ipsius existere. Nam qui zelo Dei ejusque gloriæ ducitur, animus ejus accenditur, atque exacerbatur in divinæ gloriæ adversarium quemcunque, adeò ut & ipsum damnet & execretur, & ne sibi ipsi quidem parcat, si suppositione, & fictione animi pro adversario reputetur. Imò verò qui zelo Dei gloriæ ducitur lubenter exitio fuit ipsius, etiam non ut adversarii, Dei gloriam vult redemptam. Id quod discimus exemplo Pauli, Rom. 9. 3. quo loco imprecatur sibi propter Dei gloriam non autem tanquam adversario, hoc verò loco sibi imprecatur ut adversario quidem, sed ex hypothesi & fictione: zeli enim in animo accensi hæc natura est: nihil est aliud quàm studium quoddam ardens quo quis ducitur ad hoc ut servet Deum ipsiusque gloriam sanctam ac inviolatam: unde conjunctum est hoc studium cum ira in eum quicunque demum is sit, qui velit Deum ipsiusque gloriam violare. Conjunctum quoque est

stu-

ſtudium hoc cum contemptu, & neglectu omnium rerum, etiam ſui-ipſius, ſi comparatio fiat cum Deo eiuſque gloria. Hæc duo conjuncta eſſe cum zelo & ſtudio divinæ gloriæ ſatis conſpici poteſt, primùm ex illo ad Roman. quem citavimus: deinde ex hoc ad Galatas loco. Oritur igitur (ut verbo dicam) execratio hæc Pauli, ex ardenti illo ſtudio Chriſti & Euangelii ipſius, quem zelum dicimus: Oritur quoque ex ardenti ira in adverſarios quoſcunque, etiam Angelos ipſos, ſi fingas eos ſinceritati Euangelii Chriſti adverſarios. Oritur igitur, ut in ſummâ dicam, ex animo planè acceſſo, & corde exardeſcente partim fervore zeli, & amoris Chriſti, partim fervore iræ in adverſarios Chriſti.

Ut antè diximus] Prout augeſcit ardor animi, & duplicatur quaſi affectus: ita repetitur execratio, & denunciatio anathematis. Differt autem anathema repetitum à ſuperiore, quod cùm ſuperius & ſpeciale fuerit, & conditionale ſive hypotheticum; poſterius hoc, & generaliter, & ſimpliciter, hoc eſt, citra hypotheſin propoſitum eſt: ait enim in genere, Si quis vobis euangelizaverit, quaſi dicat, Quicunque vobis euangelizaverit, ergo in anathemate hoc repetito comprehendit pſeudoapoſtolos, & ipſum in pſeudoapoſtolos apertiùs denunciatum eſt. Stravit autem ſibi viam ad ſecundum hoc anathema, quod generalius eſt & ſimplicius, per prius illud & ſpecialius & hypotheticum, ſubſtituta nimirum perſonâ ſuâ & Angeli, ut videatur etiam pſeudoapoſtolis ipſis denunciatio hæc non eſſe profecta ex odio vel ira in ipſos ſimpliciter, verùm ex Chriſti zelo, cùm apertè illud ſignificet in ſuperiori anathemate, ſinceritatem Euangelii præferre ſe, etiam ſibi, etiam Angelo, adverſus quem alioqui nefas eſt denunciare anathema. Vides igitur vel ex hoc ordine in denunciando obſervato, non ita affectu abreptum Apoſtolum ut locum aliquem prudentiæ non reliquerit.

Anathema] De hoc verbo ſæpius dictum eſt: ſignifi-

rat autem quiddam separatum, ac sepositum à communi aliquo usu ad usum aliquem peculiarem & sacrum, unde devotum aliquid vel Deo vel etiam Diabolo & exitio, anathema dictum est. Paulus Roman. cap. 9. vers. 3. separationem hanc innuit, dum dicit anathema ἀπὸ τοῦ χριστοῦ, quasi dicas anathema separatum à Christo.

Nunc enim utrum *homines*] Affectus Apostoli ad summum perveniens in proxima execratione, nunc interrogatione hac paulatim quasi remittitur. Est enim etiam in hac interrogatione affectus aliquis, verùm non ita intensus, sed paulò remissior: Per occupationem autem reddit rationem anathematis denunciati in quemcunque qui euangelizet præter id quod à se iam euangelizatum sit. Est autem ratio à fine sibi inter euangelizandum proposito, quasi dicat, Euangelizando hunc mihi finem propositum habeo, ut Deo non autem hominibus placeam. Ergo non abs re & immeritò denuncio anathema in eos qui euangelizant præter id quod ego euangelizavi. Ex fine hoc subinnuit sinceritatem Euangelii à se prædicati, &, ut loquitur 2. Corinth. 2. vers. 17. ex sinceritate se de Christo loquutum. Nam qui in agendo gloriam Dei inprimis ante oculos habet, is sincerè agit: qui verò gratiam hominum captat, is non agit aut loquitur sincerè. Ergo ex studio gloriæ divinæ innuit sinceritatem Euangelii à se prædicati. Simul autem dum asserit Euangelium à se prædicatum, taxat pseudoapostolos, qui in euangelizando quærebant potiùs hominibus placere quàm Deo, id quod apertè significat Apostolus Gal. 6. 12. dum dicit doctores circumcisionis id spectare, ne ob crucem Christi persecutionem patiantur, hoc est, ut gratificarentur Judæis atq; ita effugerent persecutionem: sensus enim horum verborum videtur esse quasi dicat. Numquid ego in Euangelizando capto gratiam hominum, ut faciunt assentatores isti pseudoapostoli qui in gratiam Judæorum, à quibus metuunt

per-

persecutionem, adulterant Euangelium Christi, eique circumcisionem, adeoque totam legem Mosaicam permiscent. Ex hoc illud perspicitur, nihil tam sanctum esse quod non violabunt qui ad gratiam hominum omnia facere apud se decreverunt. Porrò πείθειν ἀνθρώπους nihil aliud videtur esse, quàm quod sequētia verba explanant, placere, vel satisfacere hominibus: phrasis hæc, vel in bonam vel in malam partem capitur: In bonam quidem 2. Cor. 5. 11. Scientes, inquit, terrorem illum Domini ἀνθρώπους πείθομεν, id est, homines ad fidem adducimus: hoc verò loco in malam partem capitur, & est servire humano affectui & ad gratiam loqui.

Enimverò si adhuc hominibus] Intelligenda hîc est tacita negatio, qua Apostolus negat se quærere ut placeat hominibus. Nam ratio per Dialogismum & communicationem tractatur: Similem reticentiam negationis, vide Rom. 4. 1. 9. Ratio autem tacitæ responsionis, quæ est quòd non quærat hominibus placere: ratio (inquam) ejus est, ab incommodo consequente contrarii, hoc est, quod consequeretur ex eo, si quæreret hominibus placere, est autem incommodum quòd Christi servus non esset, sed potiùs servus hominum, & hostis crucis Christi, ut loquitur Philip. 3. 18. Nota igitur, non posse consistere hæc duo, ut nimirum quis faciat aliquid ad gratiam hominum simul & gloriam Dei.

Notum autem facio] Altera ratio est execrationis quā cōfidenter, & μετὰ παῤῥησίας proponit, ait enim γνωρίζω ὑμῖν, quæ formula est loquendi ad eos propriè pertinens, qui cum authoritate aliqua & fiducia loquuntur. Est autem ratio à forma & modo prædicati á se Euangelii: non est, inquit, κατ' ἄνθρωπον, hoc est, humano more, vel humano spiritu á me prædicatum Euangelium, verùm divino more ac divino spiritu. Similem loquutionem vide Rom. 3. 5. κατ' ἄνθρωπον λέγω. 2. Cor. 10. 3. eodem sensu videtur dicere se non κατὰ σάρκα bellum gerere, sed arma militiæ suæ divinitùs valida esse. Ergo sententia argumenti est, quòd Euangelium á se prædicatum non sit humanum quiddam, aut sapiat spiritum humanum, hoc est, quòd

quòd in prædicando Euangelio non sit ipse loquutus ex humano sensu ac spiritu. Hinc sequitur non immeritò denunciatum esse anathema adversus eos qui euangelizent, præter id quod ipse euangelizavit.

Neque enim ego.] Ratio est cur euangelium à se prædicatum non sit secundum hominem, ab extraordinaria revelatione Euangelii à se prædicati. Tractatur autem ratio á diversa traditione, & doctrina humana ac ordinaria. Non (inquit) accepi illud ab homine, hoc est, docente ac erudiente me tanquam discipulum, ut verba sequentia exegeticè exponunt, quibus dicit, neque edoctus sum. De ordinaria hac docendi ac discendi ratione vide 2. Tim. 3. 14. At tu (inquit) permane in iis quæ didicisti, &c.

Sed per revelationem Iesu Christi.] Apocalypsim hanc sive revelationem intelligit extraordinariam, quæ fit immediatè per Christum ipsum: ordinaria etiam revelatio per Christum fit, ejusque Spiritum, sed mediatè per ministerium humanum, & media á Deo ordinata, ut lectionem, auditionem, &c. Nota igitur ut vocatio Apostolorum extraordinaria fuit, per Christum ipsum immediatè, ita cognitionem eorum, & dona ad vocationem pertinentia, eamque confirmantia extraordinaria fuisse, & per Christum ipsum immediatè subministrata.

13 *Audivistis enim quomodo versatus sim olim in Iudaismo, me videlicet summè persequutum esse Ecclesiam Dei & eam vastasse:*

14 *Et profecisse in Iudaismo super multos æquales meos in genere meo, cum vehementiore studio tenerer traditionũ quas à patribus meis acceperam.*

15 *Sed quando placuit Deo, qui separavit me ab utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam,*

16 *Retegere Filium suum in me, ut euangelizarem ipsum inter Gentes, non statim contuli cum carne & sanguine.*

17 *Neque redii Hierosolymam ad eos qui ante me fuerant Apostoli, sed abii in Arabiam, ac denuò reversus sum Damascum.*

18 *Deinde*

18 *Deinde tribus post annis redii Hierosolymam, ut v*
serem Petrum: & mansi apud eum dies quindecim.

19 *Alium autem ex Apostolis non vidi quemquam, n*
Jacobum fratrem Domini.

20 *In iis porrò quæ scribo vobis, ecce coram Deo n*
mentior.

21 *Deinde veni in regiones Syriæ & Ciliciæ.*

22 *Eram autem ignotus facie ecclesiis Judææ quæ era*
in Christo:

23 *Sed solùm audierant*, qui dicerent, *Qui persequ*
batur nos aliquando, nunc annuntiat fidem quam olim v
stabat.

24 *Et glorificabant Deum de me.*

Audivisſis enim] Ut oſtendat quod dixit proximè, no
acceꝑiſſe ſe Euangelium ſuum ab homine, neq; edoctu
eſſe, ſed per revelationem Jeſu Chriſti, hiſtoriam vit
ſuæ anteactæ contexit, cujus in genere duæ ſunt parte
Prima eſt de vita, ac converſatione Pauli in Judaiſm
ad verſum 15. hujus capitis. Secunda eſt de vita & co
verſatione Pauli in Chriſtianiſmo, ad verſum 15. cap
tis ſequentis. Quod ad hiſtoriam converſationis in Ju
daiſmo, primùm hoc verſu eſt ejus propoſitio general
confirmata ipſorum Galatarum teſtimonio, quaſi dica
nam hæc fuit mea olim in Judaiſmo converſatio, cuj
& vos teſtes eſtis ſaltem auriti: famâ enim & ſermonibu
hominum ad vos delata eſt.

Me videlicet] Propoſitam in genere converſationem
ſuam in Judaiſmo explicat per partes, quarum hæc e
prima, quòd ſummè perſecutus ſit Eccleſiam Dei. D
perſecutione Pauli lege Act. 8. 3. & 9. 1. &c. & 22. 4. 5. &
26. 9. &c. item 1. Cor. 15. 9. 1. Tim. 1. 13. Philip. 3. 6.

Et eam vastasse] Secunda pars converſationis Pau
quæ eſt ſuperioris quædam amplificatio: nam ad vaſta
tionem proceſſit perſecutio, hoc eſt, ad ſubverſionem
Eccleſiæ. De vaſtatione hac vide Act. 8. 3. quo loco ean
definit ex effectis: Saulus, inquit, vaſtabat Eccleſiam i
trans in ſingulas domos, & trahens viros ac mulieres
tradeba

tradebat eos carceri; & Act. 22. 4. vastationem significat per persecutionem usque ad mortem, hoc est, extremam persecutionem. Notandum autem ex hoc candore in scribendo, quòd ne sibi quidem parcat: Paulum in scribendo non à spiritu humano actum, sed à Spiritu Dei sancto, ut loquitur Petrus 2. Epist. 1. 21. de Prophetis Dei veteribus, ac proinde scripturam hanc ex imperio Dei esse, ut ait Paulus Rom 16. 26. adeóque ipsum Dei verbum. De nemine enim legimus qui à spiritu tantùm humano actus est, quin in scribendo sibi ipsi pepercerit, & vitia sua celaverit.

Et profeciſſe] Tertia pars conversationis, progressus omninò quem fecit in Judaismo: proponitur per comparationem minorum factam nimirum cum multis ex æqualibus, & coætaneis in genere suo, hoc est, in secta Pharisaica: erat enim religione Pharisæus, Philip. 3. 5. Act. 23. 6.

Quum vehementiore ſtudio] Profectum suum ac progressum quem fecit in Judaismo explicat à causa sua, affectu nimirum zeli quo tenebatur traditionum patriarum: zelum hunc quoque proponit per comparationem minorum factam cum coætaneis in genere suo: nam quo ardentiori zelo tenebatur eo majores quã coætanei progressus fecit in Judaismo. De zelo Pauli vide Act. 22. 3. & Phil. 3. 6. zelũ hunc in Judaismo, jam conversus, furorem quendã appellat Act. 26. 11. Supra modum, inquit, furens adversus eos, persecutus sum in exteras usque civitates: ex ignorantia dicit fuisse ac infidelitate 1. Tim. 1. 13. quemadmodum & obstinatorum Judæorum zelum, zelo illi suo similem, dicit non fuisse ex notitia Rom. 10. 2.

Traditionum quas à patribus] Act. 22. 3. vocat patriam legem, quas hîc vocat traditiones à patribus acceptas, hoc est, traditiones Pharisaicas: Non enim ipse solùm Pharisæus erat, sed etiam Pharisæo patre natus, Act. 23. 6. Ego Pharisæus sum filius Pharisæi. Nota ex hac tertia parte conversationis Paulinæ: causam cur quis proficiat in quacunque religione esse zelum Dei, sive is ex notitia

sit, sive ex ignorantia. Profectū autem hunc in religione non metimur tantum ex cognitione, sed multò magis ex vita, & defensione religionis quam profitemur, & oppugnatione adversariorum. Hunc profectum Pauli intelligimus fuisse: nam hunc affectum zeli sui ipse testatur fuisse Philip. 3. 6. Quod ad zelum attinet persequens Ecclesiam. Atque hactenus fuit prima pars historiæ vitæ Pauli anteactæ in Judaismo, qua viam sibi strauit ad sequentem historiam vitæ in Christianismo, quæ maximè hujus instituti est, pertinétque ad id ostendendum quod propositum fuit suprà versu 12.

Sed quando placuit Deo] Hîc incipit secunda pars historiæ vitæ Pauli transactæ in Christianismo, cujus rursus varia sunt membra. Primum est ab hoc versu, ad versum 18. in quo istud in summa narratur: post revelationem illam Christi extraordinariam, non communicasse se rem illam cum vllo hominum, hoc est, non accepisse se hominum approbationem & consensum antequam iret prædicatum Euangelium. Revelationem Christi ascribit beneplacito, & εὐδοκίᾳ Dei. Quando, inquit, placuit Deo revelare filium suum: qua quidem re excludit omnem causam hujus beneficii & revelationis quæ in seipso sit, & beneficium Deo tantùm acceptum refert. Nam omnium beneficiorum Dei, sive ea ab æterno collata sint, sive in tempore conferantur, causa est in ipso Deo tantum, & ipsius Dei εὐδοκίᾳ, vide Eph. 1. 5. & deinceps, non etiam in nobis, operibus vel meritis nostris: atque hac re voluit commendare nobis gloriam gratiæ suæ vel inprimis: vnde Eph. 1. 16. postquàm dixisset, Deū nos prædestinasse in sese, hoc est, pro εὐδοκίᾳ sua, statim subjecit, ad laudem gloriæ gratiæ suæ, quo significare voluit vel ideo inprimis commendari gloriam gratiæ Dei, quòd nos in sese & pro εὐδοκίᾳ sua, sine respectu alicujus causæ in nobis, prædestinaverit ad vitam æternam.

Qui separavit] Obiter quasi altiora revelationis hujus fundamenta jacit, idque ad majorem beneficii amplificationem, & commendationem. Primum fundamentum revelationis Christi, est separatio Pauli jam inde ab ytero:

ro: quo significatur electio ipsius ab æterno. Simile quid lege de Jeremia Propheta Jerm. 1. 5. Secundum fundamẽtum est vocatio in tempore, quæ nihil aliud est, quam complementum & executio separationis, & electionis illius ab æterno. Primùm enim Deus decreto suo separat, eligit, & vocat nos ab æterno: deinde in tempore decretũ illud vocationis exequitur, nosq; reipsa vocat. Vide hoc loco ut Apostolus dum instituit mentionem unius beneficii, nempè beneficii revelationis Christi, abripiatur quasi in considerationem beneficiorum antecedentium jam inde ab æterno; quo quidem admonemur beneficiũ aliquod Dei quod in præsens confertur, altiora perpetuò habere fundamenta, adeoq; à gratia Dei quæ ab æterno fuit, pendere, atq; ideò debere nos non duntaxat oculos figere in præsenti aliquo beneficio, sed (erri altiùs in cõsiderationem, &, si opus sit, commemorationem beneficiorum illorum ex quibus præsens illud beneficium dependet, ut & Deo sit major gloria in beneficiis suis, & in nobis ipsis sit major lætitia.

Retegere filium suũ in me] Revelatio hæc extraordinaria est, id quod indicant verba illa (in me) quibus significatur revelationem hanc intus, & in animo ipsius, per Christum immediatè factã, non autẽ extrà per hominem aliquẽ, vel per ministeriũ humanum, atq; hoc est quod dixit versu primo, se Apostolũ non per hominem. Nota hîc discrimen inter Apostolos, qui extra ordinem vocati sunt, & ordinarios in Ecclesia pastores. Apostoli tantùm θεοδίδακτοι erant, hoc est, docti à Deo tantùm; pastores verò non solùm θεοδίδακτοι sunt, & docentur intrinsecus per spiritum Dei sanctum, sed etiam extrinsecus hominũ opera erudiuntur, & ordinariis mediis (ut doctrina, ut scripturarum lectione) ad cognitionem perveniunt. Deus enim & in veteri Ecclesia, & in nova, voluit primùm extraordinariam revelationẽ esse, deinde ordinariam. Prima enim revelatio in veteri Ecclesia extraordinaria est, secũda ordinaria, qua docentur homines, & discunt deinde ea quæ aliis hominibus à Deo extra ordinẽ, & immediatè revelata sunt. De hoc interea admonemus, nõ amplius fore revela-

tionem aliquam extraordinariam, neque à nobis expectandam esse ad Christi secundum adventum usque, in quo erit plena illa patefactio & revelatio: voluntas enim Dei, quantum nostrâ interest scire, plenè perfectéque revelata est in veteri & nova scriptura, idque extra ordinem, primùm Prophetis & Apostolis, adeò ut nobis tantùm reliquum sit quod faciamus in hac vita, ut per ordinaria media proficiamus in iis quæ iam revelata & patefacta sunt.

Ut euangelizarem] Finis est extraordinariæ revelationis factæ Paulo, ut nimirùm gentes per ipsius ministerium, & ordinariè id acciperent atque discerent, quod ipse extraordinariè & per Christum immediatè accepit atq; didicit. Gratiam Dei extra ordinem sibi in gratiam Gentium datam esse ipse profitetur Ephes. 3. 2. Nota igitur: Etsi non visum sit Deo se Ecclesiæ suæ, & omnibus Ecclesiæ membris extra ordinem revelare, tamen extraordinariam illam revelationem certis quibusdam, prout ipsi visum est, Ecclesiæ membris factam, ad Ecclesiæ totius usum pertinere; & propter Ecclesiam, ejusque membra singula factam esse: unde Apostolus 1. Cor. 3. 21. Omnia, inquit, vestra sunt, & Paulus, & Apollos, & Cephas, & mundus, &c. Vide de hac re 1. Cor. 12. 1. &c.

Non præterea contuli] Hæc est summa propositio primæ partis historiæ vitæ Paulinæ in Christianismo: Nam quæ sequuntur ad ver. 18. ad hanc sententiam declarandam pertinent: sensus est, quasi dicat, contentus extraordinaria hac Christi revelatione tanquam sufficiente ad munus Apostolicum obeundum, non præterea consultii municavi cum ullo hominum, aut requisivi consensum vel approbationem ullius hominis, ac si non satis instructus esse unica illa extraordinaria Christi revelatione. Ergo, ut verbo dicam, his verbis innuit Apostolus, non quæsiviisse se post illam revelationem Christi, doctrinæ ac cognitionis suæ confirmationem, quam vocant, aut ratificationem ab ullo mortalium. Nam hoc discrimen est inter Apostolum & Pastorem, quòd cùm Apostolus non acceperit ab hominibus, vel ab Ecclesia approbationem

nem doctrinæ suæ extra ordinem revelatæ, neque subjectus fuit hominum judicio, vel censuræ, quasi in doctrina errare potuerit, vide Corinth. Cor. 4. 3. quo loco videtur Apostolus, omnium hominum judicium declinare. Pastor verò in Ecclesia ordinarius, quantumvis eruditus, & omnium rerum cognitione instructus, non adeat munus prius, quàm confirmationem & approbationem doctrinæ suæ ab Ecclesia acceperit.

Carne &] Carnis & sanguinis nomine intelligit hominem fragilem ac infirmum, erroribus obnoxium: ex partibus enim hominis quæ fragilitatem significant ac important, maluit hominem designare quàm ex nomine suo; vocabula enim carnis & sanguinis sonant infirmitatem creaturæ. Eph. 6. 12.

Neque redii Hierosolymam] Declaratio est precedentis sententiæ ex profectione Pauli, & itinere statim post revelationem illam Christi extraordinariam suscepto. Profectionem suam explicat diversis, primúmque narrat quò non sit profectus, deinde quò sit profectus: quod ad primum, ait, non redii Hierosolymam.

Ad eos qui ante me] nempe, ut cum Apostolis Christi conferrem: Non redii, inquit, Hierosolymam, quia hinc profectus est Damascum ad synagogas, ut si quos invenisset sectæ Christianæ, tum viros, tum mulieres, vinctos duceret Hierosolymam Act. 9. 2.

Qui ante me fuerunt Apostoli] Erat enim Paulus Apostolorum ultimus 1. Cor. 15. 8. Ultimo verò omnium vet ut abortivo visus est etiam mihi: & versu 9. ibidem, non ultimum solùm, & novissimè vocatum profitetur, sed etiam apostolorũ minimum, imò non dignum qui vocetur Apostolus, & Eph. 3. 8. non modò Apostolorũ minimum, sed & omnium sanctorum longè minimum se profitetur.

Sed abii in Arabiam] Nunc ostendit quò profectus sit statim post extraordinariam illam Christi revelationem, Abii, inquit, in Arabiam: desertam intelligẽ, ubi dum nominatus erat Christus,

[*Ac denuò reversus sum Damascum*] è qua nimirùm abii in Arabiam. Ex hac Pauli profectione illud intelligitur,

gitur, quod declarandum ſuſcepit, non ſtatim poſt revelationem illam Chriſti contuliſſe ſe cum carne & ſanguine: Nam ſi animus fuiſſet conferre cũ carne & ſanguine, rectà Hieroſolymã ad Apoſtolos rediiſſet; at non rediit Hieroſolymã, ſed abiit in Arabiã primùm, ac denuò reverſus eſt Damaſcum, unde exiit. Ergo non ſtatim contulit cum carne & ſanguine. Nota de induſtria ſuſceptum eſſe hoc iter ab Apoſtolo, ne haberent adverſarii quod objicerent adverſus ipſius Apoſtolatum. Si enim Hieroſolymam ſtatim reverſus fuiſſet, vel inviſendi Apoſtolos tantùm cauſa, non conferendi cum iis, aut cõmunicandi gratia, profectò egregiam hinc nacti ſibi viſi fuiſſent adverſarii occaſionẽ vocandi in dubium ejus Apoſtolatum: quamobrem Pauli exemplo abſtinendum eſt etiam ab iis rebus & actionibus quæ alioqui licitæ ſunt, ac legitimæ, ne demus adverſariis occaſionẽ calumniæ, ac injuſtæ accuſationis: Nam, ut ait Apoſtolus Epheſ. 5. 15. Videndum eſt quomodò accuratè incedamus, non ut inſipientes, ſed ut ſapientes, redimẽtes occaſionem, quoniã dies mali ſunt.

Deinde tribus] Secunda pars hiſtoriæ converſationis Pauli in Chriſtianiſmo, cõtinet autẽ reditum ejus Hieroſolymam poſt aliquot annos, nimirùm tres: triennii hujus Lucas in Actis Apoſtolorum non expreſſe meminit, tantùm hoc habet de tẽpore in genere Act. 9. 23. Expleto autẽ multo tempore. Hic videtur intelligendum illud triennium, quod interceſſit inter converſionem Pauli, & reditum ejus Hieroſolymam verſus: Nam anno demum poſt converſionem quarto ineunte, Hieroſolymã rediit.

Ut viſerem Petrum] Hunc finem inviſendi Petri conſulto expreſſit, ne putaretur Hieroſolymam reverſus eo fine ut cum Petro conferret.

Et manſi apud] Narrat quàm brevi tempore apud Petrum manſerit, quò ſignificet ſe à Petro non edoctũ: neq; enim eruditur aliquis in re aliqua niſi ſatis longo tẽpore.

Alium autem ex.] Hoc narratur per occupationẽ, dic enim potuit, an non vidiſti Hieroſolymis niſi ſolum Petrum? reſpondet ſe non aliũ vidiſſe ex Apoſtolis excepto Jacobo: paucitas enim iſta Apoſtolorum quos conueni

Paulus

Paulus Hierosolymis huc pertinet, ut ostendat non contuliſſe ſe cum Apoſtolis, aut ab iis præterea edoctum fuiſſe, nam illud opus omnium Apoſtolorum præſentiam ac ſententiam poſtulaſſet.

Jacobum fratrem Domini] Hic fuit non Zebedæi filius Johannis Apoſtoli frater, ſed Alphęi filius, qui & Jacobus minor, & juſtus, & frater Domini, hoc eſt cognatus ſecundum Hebraicam phraſin dictus eſt. Is eſt qui hanc Epiſtolam Jacobi Apoſtoli nomine inſcriptam ad duodecim tribus diſperſas ſcripſit. Act. 9. 27. Habes Paulum à Barnaba deductum ad Petrum & Jacobum, quo etiam loco habes ſermonem illum à Paulo cum Apoſtolis collatum poſtquàm ad eos adductus eſſet: narravit, inquit, quomodo in via vidiſſet Dominum.

In iis porrò quæ] Obiter quaſi inſerit narrationi atteſtationem, id nimirum exigente rei quæ agitur gravitate ac pondere: eoque tendit hæc atteſtatio, & appellatio Dei, ut fides narrationi habeatur. Permittitur autem in rebus magni momenti exponendis ac narrandis Deum atteſtari vt fides dicto habeatur. Quia igitur permagni intererat ipſos Galatas fidem habere huic narrationi, quâ confirmavit Apoſtolatum ſuum, ideò narrationem hac atteſtatione illis comprabavit. Vide ſimilem atteſtationem Rom. 9. 1. Veritatem dico per Chriſtũ, non mentior. Nota igitur quemadmodum in prima illa parte hiſtoriæ vitæ ſuæ in Chriſtianiſmo oſtendit non contuliſſe ſe cum carne & ſanguine ex eo quòd non Hieroſolymã ad Apoſtolos, ſed aliò ſe contulerit ſtatim poſt illam revelationem Chriſti extraordinariam: ita in hac ſecunda parte idem oſtendit ex eo quòd reuerſus tandem Hieroſolymam duntaxat inviſerit Petrum, non manſerit apud eum niſi dies paucos, non viderit alium quenquam ex diſcipulis niſi Jacobum. *Deinde veni in*] Tertia pars hiſtoriæ vitæ Pauli in Chriſtianiſmo: continet autem profectionem ejus in Syriam, & Ciliciam. Act. 30. narratur eum Hieroſolymis deductum Cæſaream, & deinde Tarſum emiſſum. Sunt autem Cæſarea, & Tarſus vrbes Ciliciæ. Ergò Paulus ipſe hoc loco meminit regionum

in quas profectus est, Lucas autem particularius vrbes Ciliciæ designavit, in quas profectus est. Porrò natus est Paulus Tarsi, ut ipse de se testatur Act. 22. 3. enutritus verò est Hierosolymis ad pedes Gamalielis, ibidem. Occasionem profectionis hujus in regiones Syriæ primùm, deinde Ciliciæ, habes Act. 9. 29. 30. ubi ait liberè nomine Domini Jesu locutum esse, & disceptasse Paulum adversus Judæos, adversus Græcos qui Hierosolymis erant, ideoque conatos eos ipsum interimere, qua re deinde cognita à fratribus, eum deductum esse Cæsaream, & inde Tarsum venisse: ergo persecutio urgebat profectionē istam in regiones Syriæ, & Ciliciæ, quemadmodū & illam superiorem quæ fuit Damasco Hierosolymam Act. 9. 23. 24. &c. Factum est autem profectione hac Pauli, ut latiùs diffunderetur Euangelium Christi. Sic solet Christus hostium rabie ad propagandum regnum suum abuti. Vide Act. 8. 1. &c.

Eram autem ignotus] Profectionem, vel potiùs commorationem suam in regionibus Syriæ & Ciliciæ, commendat testimonio Ecclesiarum Christi quæ in Judæa erant: Illæ, inquit, glorificabant Deum de me: ex eo autem amplificat hoc testimonium Ecclesiarum Judaicarum, quòd ipse non nisi fama, & sermonibus hominum Ecclesiis illis cognitus fuit. Amplificat igitur hoc Ecclesiarum testimonium de Paulo, quod glorificarent Deum de homine, alioqui sibi ignoto, hoc est, facie ignoto, fama tamen cognito. Nota igitur hoc loco, glorificandum Deum esse de instrumentis illis Dei illustribus, & quasi luminaribus totidem, quæ à Deo excitantur ad præbendum lumen cognitionis gloriæ Dei in facie Jesu Christi, ubicunque locorum degant, & quantumcunque nobis ignoti sint facie. Satis nobis sit quòd audiamus eos tanto cum fructu Euangelium Christi annuntiare.

Qui persequebatur nos] Notanda hîc est glorificationis hujus causa, quæ non in eo sita est, quòd Paulus annuntiârit simpliciter doctrinam fidei, sed in eo quòdis, qui aliquando persequebatur doctrinam fidei evaserit nunc prædicator, non doctrinæ quidem alius cujusdam, verùm

erùm ejuſdem illius, quã olim perſequebatur ac vaſtabat. Nota ergo: Paulus ex perſecutore factus eſt prædicator, & prædicator quidẽ ejuſdem doctrinæ quam perſecutus eſt. Glorificatur quidem Deus tum cùm quivis annuntiat doctrinã fidei; at verò magis glorificatur cùm qui anteà perſecutus eſt eam doctrinam, eandem poteà annuntiat. Doctrina hæc latiùs extendi poteſt hoc modo: Glorificatur quidem Deus ſalute cujuſvis hominis; at magis glorificatur ſalute & cõverſione ejus hominis, qui prius apertum quaſi bellum Deo indixit: nam in eo relucet clariùs Dei miſericordia: cùm enim peccatum abundat tum gratia ſuperabundat: & quò quis graviùs peccaverit in Deum, eò jam converſus ad Deum evadit illuſtrius exemplum miſericordiæ divinæ. Hinc Paulus 1. Tim. 1. 16. prædicat ſe factum exemplum eſſe credituris Deo in vitam æternam, exemplum autem ideò factus eſt quia priùs erat blaſphemus, perſecutor & injurioſus.

ANALYSIS CAP. II.

ARGUMENTUM.

Hoc capite primùm perſiſtit in hiſtoria illa vitæ ſuæ in Chriſtianiſmo tranſactæ ad verſ. uſque 15. quo loco tranſitione facta verſu 15. & priori parte verſus 16. tandem poſteriori parte ejuſdem verſus proponit, non juſtificari hominem ex operibus. A verſu 17. ad 21. digreſſio eſt, qua occupat argumentum quoddam adverſariorum contra propoſitionem illam juſtificationis per fidẽ, eíque reſpondet. Verſu autem 21 primũ argumentum eſt quo oſtendit, ex operibus legis non juſtificari ullam carnem.

Deinde interjectis annis quatuordecim, rurſum aſcendi Hieroſolymã unà cum Barnaba, aſſumpto ſimul & Tito.

2 Aſcendi autem ex revelatione, & expoſui eis Euangelium quod prædico inter Gentes: ſed privatim cum eis, qui ſunt in pretio, ne quo modo fruſtrà currerem aut cucurriſſem.

3 *Sed neque Titus qui mecum erat, quum esset Græcus, coactus fuit circumcidi.*

4 *Nempe propter emissarios falsos fratres, qui irrepserant ad explorandam libertatem nostram quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem adigerent.*

5 *Quibus ne ad momentum quidem cessimus per subjectionem, ut veritas Euangelii permaneret apud vos.*

6 *Ab iis autem qui existimantur esse aliquid (qualescunque fuerint, nihil mihi discrepat) personam hominis Deus non accipit: Nam qui sunt in pretio, nihil mecum præterea contulerunt.*

7 *Imò è contrario, quum vidissent mihi concreditum fuisse Euangelium præputii, sicut Petro circumcisionis:*

8 *(Nam qui efficax fuit per Petrum ad Apostolatum circumcisionis, efficax fuit etiam per me erga Gentes)*

9 *Quúmque cognouissent gratiam mihi datam Jacobus & Cephas & Johannes, qui æstimantur esse columnæ, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis: ut nos inter Gentes, ipsi verò inter circúcisos, Apostolatu fungeremur.*

10 *Solùm* monuerunt *ut pauperum meminissemus; quod & ipsum studui facere.*

11 *Quum autem venisset Petrus Antiochiam, in os ei restiti, eò quòd condemnandus esset.*

12 *Nam antequã venissent quidam à Jacobo, unà cum Gentibus edebat: quum autem venissent, subduxit sese ac separavit ab eis, metuens eos qui erant ex circumcisione.*

13 *Ac simulabant una cum eo reliqui etiã Judæi: itaq; etiam Barnabas simul abreptus fuit in illorũ simulationem.*

14 *Sed quum vidissem eos non recto pede incedere, ut veritati Euangelii congruebat, dixi Petro coram omnibus, Si tu, quum sis Judæus, Gentiliter vivis, ac non Judaicè, cur gentes cogis judaizare?*

Deinde interjectis] Hæc quarta pars est historiæ vitæ Pauli in Christianismo ad versum usque 11. continet autem profectionem ejus Hierosolymam versus, simul & id quod ab eo Hierosolymis agente factum est: proponit itaque hoc versu profectionem suam, *Deinde*, inquit,

ascendi

ascendi rursum Hierosolymam] Propositio non nudè subjecta est, verùm amplificata est; primùm, adjuncto tempore ascensionis. Deinde, adjuncto comitatu [*Vnà cum Barnaba*] inquit. Tertiò, causa ascensionis impellente, principio versus 2. *Ascendi*, inquit, *ex revelatione*.

Interjectis annis] Hi anni numerandi esse videntur, non quidem inde à conversione Pauli, verùm à primo reditu Hierosolymam, qui fuit post conversionem tribus annis. Vide cap. 1.18. Atque ita hæc, de qua nunc loquitur, ascensio videtur fuisse anno post conversionem 17. In Actis Apostolorum legimus; Paulum post conversionem suam, omninò quatuor temporibus reversum Hierosolymam. Primus reditus fuit Damasco, tribus annis post conversionem Act. 9.26. Gal. 1.18. De secundo legimus Act. 11.30. cujus Apostolus ipse non meminit ad Galatas. De tertio legimus Act 15.3. De quo habetur ad Gal. 2.1. De quarto legimus Act. 21.17. qui & ultimus fuit, cujus etiã ad Gal. nulla fit mentio. Ergo hoc loco intelligendus videtur tertius ille Apostoli reditus Hierosolymã versus.

Vnà cum Barnaba] Hic est Barnabas ille qui Paulum quo tempore primùm reversus est Hierosolymam acceptum duxit ad Apostolos, Petrum & Jacobum Act. 9.27. qui deinde abiit Tarsum, ut requireret Saulum, & eum inuentum duxit Antiochiam Act. 11.25. Qui etiam vnà cum Paulo missus est Antiochia Hierosolymam: in secundo Pauli reditu Act. 11.30. Separatus etiam est cum Paulo ad prædicandum gentibus Act. 13.2. De Pauli autem & Barnabæ peregrinatione inter gentes, eas nominatim, quæ fuerunt in Asia minori, lege inde à cap. 13. Actorum, ad cap. usque 15. Barnabas etiam simul cum Paulo missus est Antiochia Hierosolymam percontaturus de quęstione circumcisionis, quam Judæi quidam obtrudebant Antiochenis Act. 15.1.2. Et hoc loco tandem à Paulo separatus est propterea quod de Marco inter ipsos non convenerat. Act. 15.36. & deinceps: Ante illud tempus perpetuò erant peregrinationis socii; verùm tum primum interveniente illo dissidio separati sunt, ita tamen ut Deus eorum dissidio ac separatione ad Ecclesiæ

suæ

ſuæ ædificationem abuſus ſit. Erat autem Barnabas vir bonus & plenus ſpiritu ſancto ac fide, Act. 11. 24.

Aſſumpto ſimul.] De Tito nulla ſit mentio. Act. 15. 2. quo loco eſt hiſtoria tertii reditus hujus Pauli Hieroſolymam verſus. Tantùm dicitur illic alios quoſdam ex fidelibus vnà cum Paulo & Barnabà aſcendiſſe Hieroſolymam. Aliis illis annumerandus videtur Titus, cujus hîc expreſsè meminit Apoſtolus. Uidetur ex hoc loco prius Paulo cum Tito interceſsiſſe familiaritatem quàm cum Timotheo, quem quidem aſſumptum à Paulo legimus aliquanto tempore poſt hunc tertium reditum, Act. 16. 3.

Aſcendi autem] Hæc cauſa eſt impellens aſcenſionis, revelatio Dei extraordinaria, de qua tamen nihil habemus Act. 15. ubi de tertio hoc reditu agitur. Subindicat autem Apoſtolus hac aſcenſionis ſuæ cauſa extraordinaria, extraordinarium ſe hominem, quocum Deus extra ordinem egerit.

Et expoſui] Hactenus profectio fuit, nunc ſequitur id quod fecit Hieroſolymis: Expoſui, inquit, iis, nempe Hieroſolymitanis, Euangelium quod prædico inter gentes. Tum correctio quædam eſt, quaſi dicat, non quidem expoſui Euangelium meum palam in concilio aliquo convocato, ac ſi doctrinæ meæ rationem aliquam redderem, ſed privatim ac famirialiter doctrinam meam communicavi mea ſponte, idque non cum quibuſvis, ſed cum iis qui ſunt in pretio & maximi nominis, ut cum Jacobo, Petro, Johanne, de quibus poſteà verſu. 9. Subindicat autem hac re non veritum ſe fuiſſe cenſuram eorum qui erant maximi nominis, & in pretio habiti ſunt.

Ne quo modo] Facti ſui finem addit, non quidem ut aliquid diſceret ex Apoſtolis, ſed tantum ut occurreret tempeſtivè falſis illis de ſe rumoribus, quòd aliam ab Apoſtolorũ doctrina traderet doctrinam, per quos fieri poteſt ut perderet operam ſuam, aut etiam perdiderit in Euangelizando gentibus, hoc eſt, nullo cum fructu, vel doceret vel docuerit. Finem autẽ hunc expreſsit verbis tranſlatis ab eis qui in ſtadio currunt, quibus ſeſe non uno in loco comparat, ut 1. Cor. 9. 24. 2. Tim. 4. 7. 8. Phil. 3. 12. &

deinceps.

deinceps. Nota hoc loco, Apostolum in prædicando Euangelio ante omnia ob oculos habuisse salutē & conversionem eorum quibus prædicavit: nisi enim id spectasset, profectò doctrinam suam ne Apostolis quidem communicasset. Omnia igitur facienda sunt priùs, quàm ut frustrà laborent Pastores, hoc est, nullum fructum laborum suorum percipiant. Nam hæc futura est eorum gloriatio in extremo die, teste Paulo Philip. 2. 16, quòd non frustra cucurrerint aut in uanum laboraverint. Uide similem locutionem Gal. 4. 11. Metuo de vobis ne frustrà fatigatus sim apud vos.

Sed neque] Illustratur proximum factum, in exponendo Apostolis Euangelio suo, effecto suo duplici. Primum est: Titus qui cum ipso erat non coactus fuit circumcidi, nempe ab Hierosolymitanis, & Apostolis.

Cum esset Græcus] Amplificatio quædam & ratio per occupationem: dici enim potuit, cur cogendus fuit circumcidi? Resp. quia Græcus erat, ac proinde incircumcisus ac præputiatus.

Nempe propter] Ratio cur non coactus fuit circumcidi Titus, per occupationem: Est autem à causa primùm movente, & iis hominibus qui Apostolos ad id urgebant, & cum iis de circumcidendo Tito agebant: erant autem emissarii. Tum describuntur emissarii illi, erant falsi fratres.

Qui irrepserant ad] Descriptio hæc emissariorum paulò diligentius examinanda est, primum, generis loco est, quòd fratres sint: deinde, differentia prima est, quòd non veri, sed falsi fratres sint. Tertiò, secunda differentia est à modo ingressus eorum in Ecclesiam Dei, non quidem palam ingressi sunt, sed irrepserunt: quartò, differentia est à fine ingressus clancularii, eoque duplici, prior est, ut explorarent libertatem Ecclesiæ; tum quæ sit illa libertas exponitur, quam habemus, inquit, in Christo Jesu: hoc est, non ciuilis aliqua & politica, sed Christiana ac spiritualis. Porrò de hac libertate postea cap. 5. 1. est autem ea qua Christus nos liberavit à tota lege, tam ceremoniali, quàm morali, qua ex parte moralis justificat aut

condemnat,

condemnat, hactenus enim ab ea liberamur. Posterior finis ex priori pendet, eo enim pertinebat eorum exploratio & quasi speculatio Christianæ libertatis, ut tandem Ecclesiam Christi in servitutem adigerent. Hic autem ultimus finis est ac præcipuus quem sibi proponunt speculatores, & exploratores quicunque, ut nimirùm tandem subvertant eos ad quos explorandos mittuntur. Porrò servitus hæc est qua legi inserviendum fuit, ac proinde peccato & morti. Nam hæc necessariò conjuncta sunt, ut apparet Rom. 6. 7. ab hac servitute dissuadet posteà cap. 5. 1.

Quibus ne ad] Concludit ex hac causa, ab emissariis & exploratoribus sumpta, non cessisse se, ne ad momentum quidem, illi hominũ generi. Nimirùm hoc est reipsa idem cum eo quod dictum est suprà, non coactus fuit Titus circumcidi: Significat autem si coactus fuisset ab Apostolis circumcidi Titus, quòd ea res nõ tam fuisset Apostolis cedere, quàm emissariis illis, qui ad hoc ipsum instigârunt Apostolos.

Ne ad momentum] Hac circumstantia innuit quàm strenuè emissariis illis restiterit, quámque nihil planè iis voluerit concedere aut gratificari: Nam in causa Christi nihil, ne tantillum quidem, adversariis est condonandum.

Per subjectionem] Hoc verbo addito significatur modus illius quasi cessionis, fuisset enim turpis ac servilis. Sic enim Emissariis illis sese turpiter subjecisset Apostolus, prodita libertate Christiana. Quod si igitur cedendum sit aliquibus aliquando, videndum illud, ne cedendo prodamus libertatem nostram in Christo Jesu, & nostra ipsorum culpa in servitutem redigamur.

Ut veritas Euangelii] Hic finis est cur non cesserit, non modò ut veritas, hoc est, sinceritas Euangelii, sine legis permistione, permaneret, sed etiam ut permaneret apud Galatas: significat enim restitisse se adversariis non tantùm causa Euangelii & Christi, sed etiam Galatarum. Nam in re religionis hæc duo perpetuò ante oculos debemus habere, primùm Dei ipsius gloriam, deinde salu-

tem

tem hominum. Porrò his verbis obiter Galatarum benevolentiam captat. Nota ex hoc primo effecto quando non sit cedendum adversariis, ne in rebus quidem adiaphoris, in quibus initio & primis illis temporibus Apostolorum numerabatur circumcisio, nempe tum cùm res non est cum infirmis fide, de quibus Rom. 14. Act. 16. 3. (Quorum gratia circumcisus est Timotheus ne illi nimirum offenderentur) sed cum obstinatis malitiosis, &, ut hic vocantur, emissariis, qui hoc unum spectant ut subvertatur libertas Christiana: cum his res fuit Apostolo hoc tempore, & in eo hominum genere sunt Papistarum plerique hodierno die, qui non tantum id spectant ut libertas Christiana in adiaphoris subvertatur, sed ut omninò veritas Euangelii destruatur.

Ab iis autem qui.] Hoc alterum effectum est, quo explicatur illud Pauli factum in exponendo Euangelio suo Hierosolymitanis præsertim Apostolis: est autem quod ii qui putantur esse aliquid, & in pretio sunt, nihil cum ipso præterea contulerunt, hoc est, nihil vel adjecerunt doctrinæ ipsius, vel de ea diminuerunt, vel in ea immutarunt. Porrò defectus est aliquis in hac sententia, qui supplendus est per verbum illud quod est in fine versus [*Præterea contulerunt*] ut sit sensus, *ab iis qui putantur esse aliquid nihil mecum præterea collatum est.* Intelligit autem eos qui posteà versu 9. vocantur columnæ, hoc est, eos qui citra controversiam Apostoli erant, ut Jacobum, Petrum, Johannem, & Apostolos cæteros.

Qualescunque fuerint.] Hæc in parenthesi legenda sunt. Correctio autem est proximi verbi, quasi dicat, quid dico eos qui putantur esse aliquid? Nam qualescunque, vel quocunque loco aliquando fuerunt tum cum Christum secum præsentem haberent nihil meâ refert, hoc est, nihil moror, non in hoc laboro: nam hoc unum scio, Deum personam hominis non accipere, hoc est, non respicere, vel personam illorum, vel personam meam, ita ut vel velit eos solos esse Apostolos, vel nolit me esse Apostolum, qui priùs eram

blasphemus

blasphemus, persecutor, injuriosus, 1. Tim. 1, 13. Dis
igitur exemplo Dei, adeóque ex natura Dei justissim
non adeò respiciendas esse hominum conditiones, si
bonas, sive malas: Quasi verò possit Deus pessimu
quemq; & in speciem abjectissimum erigere, ita ut int
optimos quosq; censeatur: & rursus ex iis qui optimi h
bentur pessimos facere. Unde Apost. Rom. 14. 4. Tu qu
es qui condemnas alienum famulum, proprio domi
stat, aut cadit, stabilietur autem, potest enim Deus eu
stabilire.

Ἐμοὶ γὰρ οὐδὲν] Resumptio est sententiæ illius initio ve
sus inchoatæ & abruptæ: particula enim γὰρ resumpt
oni inservit, idémque valet atque, *inquam*, mutata aute
est loquendi forma, & ex passiva, ut loquuntur, activa fa
cta est.

Imò è contrario] Correctio quædam est præcedent
sententiæ, quasi dicat, tantùm abfuit ab eo ut aliqui
mecum prætereà contulerint, aut aliquid in mea doctr
na correctione dignum existimaverint, ut è contra, dex
tras dederint mihi ac Barnabæ societatis, eáque re ap
probârint totam meam doctrinam, in eámque consen
serint.

Quum vidissent] Causæ approbationis Apostolorum
narrantur, ne quid temerè ab iis factum videatur. Prim
est, viderunt mihi concreditum fuisse Euangelium inte
Gentes, ut Petro, inter Judæos. Quómodo ante id per
spexerint, narratur sequenti versu in parenthesi.

Nam qui efficax] Observarunt concreditum Paul
Euangelium inter Gentes, ex efficaci Dei operation
per ministerium ipsius. Argumentū est ab effecto Euan
gelii ipsius tanquam instrumenti, cujus principalis cau
sa fuit ipse Deus, ideò dicit non quidem ego efficax fu
sed Deus efficax fuit per me. Porrò hoc idem re esse vi
detur cum eo quod dicitur Rom. 15. 18. Christus effec
per me, hoc est, meo ministerio. Tractatur autem hi
locus, ut & superior simili comparatione Petri, ut signifi
cet se Dei gratia Petro nihilo inferiorem, non quidem u
Petro aliquid detrahat, verùm ut asserat apostolatū sui

Quúmqu

Quúmque cognovissent] Secunda causa est approbationis Apostolorum, cognoverunt Jacobus, Cephas & Johannes gratiam mihi datam. Hæc est specialis quædam notitia certorum ex Hierosolymitanis, eorumque primi nominis, cum superior illa generalior fuerit Hierosolymitanorum. Erant autem primi nominis Jacobus, Petrus & Johannes, de quibus dicit, quod putabantur esse columnæ, hoc est, à falsis fratribus soli in pretio habebantur. Quorum etiam nominibus ad alios decipiendos abutebantur, hi, inquit, nominatim dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis, quo significârunt unitatem illam & consensionem in doctrina, neque id tantùm, sed & societatem in Apostolatu. Sed verba sequentia symbolum hoc exponunt, quibus dicit, *ut nos inter gentes*. Quibus verbis significat ideò dextras esse datas, ut eo quasi signo approbarent Apostolatum Pauli, & Barnabæ inter Gentes fuisse, quemadmodum & ipsorum fuit inter Judæos. Hac igitur correctione amplificavit superius illud Apostolorum factum, quod nihil præterea cum Paulo contulerint.

Solùm monuerunt.] Occupatio est: an de nulla planè re te admonuerunt? huic occurrit respondétque: tantùm hoc monuerunt, ut pauperum meminissemus, hoc est, Sanctorum, qui Hierosolymis & in Judæa agebant.

Quod & ipsum] Exponit fidem suam ac diligentiam in exequendo illud Apostolorum mandatum, atque hoc obiter ad justam ipsius commendationem: vide de præstito hoc officio 1. Cor. 16. 1. & deinceps. 2. Cor. 8. 9.

Cum autem venisset] Quinta pars est historiæ vitæ Paulinæ in Christianismo transactæ. Summa est, Antiochiæ Petro in os restiti. Factum autem hoc est posteaquam Paulus & Barnabas Hierosolymis reversi sunt Antiochiam Syriæ, ibi quoque reversi manserunt: vide Act. 15. 34. Manentibus Antiochiæ Paulo & Barnaba, ut apparet ex hac historia, Petrus Hierosolymis Antiochiam venit.

In os ei restiti] In Græco est in facie, vel coràm: neque tantùm coram egit cum Petro Paulus, sed etiam palàm

& in conspectu omnium, ut apparet ex v. 14. sequente: publica enim peccata & scandala removenda sunt publicis reprehensionibus. Vide 1. Tim. 5. 20. Eos qui peccant, inquit, hoc est, presbyteros, qui peccant cum offensione multorum, jam legitimè convictos peccati coram omnibus argue, ut & reliqui timeant. Verba autem hæc significant gravem, confidentem, & liberam reprehensionem, inferuntq; authoritatem in reprehendendo planè Apostolicam: nam huc pertinet tota hæc historia conversationis Pauli, ut appareat eum Apostolum esse & extra ordinem à Deo edoctum.

Eò quod condemnandus] Ratio est propositæ reprehensionis ex merito ipsius Petri: q. d. nam commeritus est reprehensionem, adeóque condemnationem, hoc est, sententiam quasi damnatoriam.

Nam antequam] Confirmat meritum Petri ex facto ipsius sibi tam repugnanti, & contrario pro temporum diversitate, cum oporteat Christianos sibi constare in bono perpetuò, neq; mutari pro temporum vicissitudine: Deus enim sui semper similis est: Ego Jehova & non mutor Mal. 3. 6. Primum itaq; membrum facti sibi repugnantis est, quòd una cum Gentibus ederit, nullo ciborum delectu facto, quod & ipse Petrus jam antè ex cœlesti visione didicit, Act. 10. 15. & deinceps, ubi hanc vocem audivit, Quæ Deus purgavit tu ne pollui to. Ergo non peccavit Petrus, eò quòd cum Gentibus ederit & usus sit Christiana libertate in adiaphoris: hujus facti prioris tempus denotatur, tum nimirùm, cum nondum venissent quidam à Jacobo, hoc est, Hierosolymis, ubi Jacobus frater Domini agebat. Hi autem erant Judæi, neque, ut videtur, infirmi illi fide, quoad adiaphora, quibus cedendum fuit ne offenderentur, Rom 14. 1. & deinceps: verùm obstinati qui contenderunt legem Mosaicam cum Euangelio Christi conjungendam esse, similes nimirum illis emissariis qui voluerunt Titum circumcidi suprà versu 3, & deinceps.

Quum autem venissent] Secundum membrum facti Petri primo illi plane repugnans: est autem quòd subduxerit

duxerit seſe ac separaverit à Gentibus earumq; mensis, à consuetis cibis: hoc factum tempore suo circumscriptum est, nempe quo venerunt quidam à Jacobo Antiochia, fortasse ad explorandam libertatem, ut illi emissarii suprà. Causa quoq; facti addita est, quia metuit Judæos qui venerunt à Jacobo. Metus hic proculdubio laudabilis non fuit: videtur autem fuisse cujusmodi fuit ille, de quo 2. Tim. 1. 7. non Deus nobis, inquit, dedit Spiritum timiditatis, sed roboris. Videtur autem Petrus concepisse hunc metum, non tam ob id ne offenderet infirmos Judæos quàm ne ipse persecutionem aliquam pateretur: nam qui ritus legis Mosaicæ conjunxerunt cum Euangelio Christi ideò fecerunt, ne ob crucem Christi persecutionem paterentur: vide Gal. 5. 11. Ego si circumcisionem etiam prædico, quid adhuc persecutionem patior? ibidem 6. 12. Quicunque volunt speciosi apparere in carne ii cogunt vos circumcidi, tantùm ne ob crucem Christi persecutionem patiantur. Quare cum metus hic reprehendendus fuerit, sequitur & factum illud ex metu hoc reprehendendum fuisse, & Petrum eo facto graviter peccasse: sed de hoc posteà.

Ac simulabant unà.] Facti hujus posterioris amplificatio ex scandalo, quod ex ipso sequutum est: eo enim offensi sunt reliqui Judæi vnaque cum Petro simulârunt.

Itaque etiam] Ex Judæis qui offensi sunt nominatim commemoratur Barnabas, qui cum tantus esset vir & cum Paulo gentium Apostolus, ejus præsertim offensione ac simulatione exaggeratur factum illud Petri, quòd videlicet tantum virum simul abripuerit in eandem simulationem ac hypocrisin. Factum Petri, verbis verbis patet, hypocriseôs nomine designat: nam Petrus eò quòd subduxerat se à Gentibus, quibuscum priùs comedebat, hypocritam se gessit, hoc est, simulavit se delectum aliquem ciborum facere, adeóq; legem Mosaicam magni facere, cum tamen persuasum haberet eam abrogatam: fecit hoc in gratiam Judæorum, & eorum qui à Jacobo venerunt: cum tamen nullius hominis respectu simulandum sit, vel hypocriseôs viuendum, verùm candidè

didè & ex animo prout dictat conſcientia facienda ſunt omnia: vnde præcipit Paulus de adiaphoris Rom. 14.5. Vnuſquiſque in animo ſuo plenè certus eſt, nempe in uſu ἀδιαφόρων, quibus uti vel non uti oportet, prout conſcientia dictat. Quod ſi conſcientia dictaverit, & non vtamur, jam quoque peccatum eſt.

Sed quum vidiſſem] Hactenus fuit Petri factum ſibi contrarium, ex quo ſequitur eum reprehenſione dignum fuiſſe: nunc habemus ipſa reprehenſionis verba, verùm priùs ex ſuperioribus cauſa reprehenſionis breviter repetita eſt. Eſt autem quòd tum Petrus inprimis, deinde alii ejus exemplo, non recto pede inceſſerint, hoc eſt, claudicarint. Id autem declarat ex eo quòd non inceſſerint ſecundum veritatem Euangelii, quæ regula eſt ſecundum quam nobis ambulandum eſt in vita, à qua ſi ſemel deflexerimus, jam profectò in vita erramus & quaſi claudicamus.

Dixi Petro coram] Per proſopopœiam illa ipſa verba repetit quibus tum uſus eſt cum Petro in os reſtitit: ad proſopopœiam his verbis acceſſum facit.

Si tu, quum ſis] Summa reprehenſionis hæc eſt: quòd Gentes, quantum in ipſo fuerat, coegit Judaizare, hoc eſt, implicaverit eos legis ſervitute, vel, vt ipſe loquitur Galat. 5.1. ſervitutis jugo, atque ita abduxerit à Chriſto, fecit autem hoc Petrus ex conſequenti, ut loquuntur: nam dum ſeparavit, ſubſtraxit & ſeduxit ſeipſum à gentibus & ipſarum menſis, atque ipſis inſpectantibus quaſi noluit uti libertate Chriſtiana in adiaphoris, profectò idem fecit re ipſa ac ſi coegiſſet gentes tranſire ad Judæos. Suo enim exemplo Gentes offendit, & quod in ipſo erat, perſuaſit Gentibus abſtinendum eſſe à cibis illis lege Moiſaica vetitis. Quid autem hoc fuit aliud quàm efficere, ut Gentes relicto Chriſto legem Moſaicam amplecterentur? Nam qui vel unicam legis Moſaicæ ceremoniam amplectitur, profectò is debitor eſt totius legis ſervandæ: id quod habet Apoſtolus de circumciſione poſteà cap. 5.3. Exaggeratur factum hoc Petri, quod reprehenditur, ex præcedenti facto non diſſimili

mili modò, ſed planè contrario. *Si tu*, inquit, *quum ſis Judæus*, quaſi dicat, hæc ἀσυμβατα ſunt ac planè diſſonant, quòd primùm ipſe tu gentiliter vixeris, ac non Judaicè, hoc eſt, ad morem Gentium, & non Judæorum, nimirum nullo delectu ciborum habito, ac deinde coeperis Gentes vivere more Judæorum: quaſi dicat, Quî poſſunt hæc unà conſtare ut tu vivas more Gentium, cogas autem Gentes vivere more Judæorum, cogis autem dum ſubſtrahis te à Gentibus earumque menſis, metu Judæorum. Ergo non ſimpliciter & nudè reprehendit hoc Petri factum in ſubducendo ſe à Gentibus, verùm comparatè, facta comparatione cum priori Petri facto planè contrario. Peccavit igitur Petrus bis, primùm quod offenderet Gentes, deinde hoc auxit peccatum ejus quod ipſe ſecus ſe geſſerit, & modo planè contrario, quo vivere voluerat Gentes: neque enim decet Chriſtianum aliter vitam ſuam inſtituere, aliter verò & modo contrario vivendum aliis perſuadere, verùm quodcunque nos nobiſmetipſis deligimus faciendum in vita, tanquam factu optimum, ſanè id aliis faciendum debemus commendare, ac in vita ſequenda. Vides itaque ex hac contextus hujus reſolutione Petrum peccaſſe graviter, & Paulum ſeriò & vehementer eum objurgaſſe, ut non ſit nobis cum quibuſdam ſentiendum, & Petrum non peccaſſe, & Paulum non ſeriò cum Petro egiſſe; ſed ex compoſito hæc inter Petrum, & Paulum tranſacta fuiſſe: neque enim placent ejus gloſſæ, quæ ipſum textum pervertunt.

15 *Nos natura Judæi, & non ex Gentibus peccatores:*

16 *Scientes non juſtificari hominem ex operibus legis, ſed per fidem Jeſu Chriſti: & etiam nos* inquã *in Chriſtum Jeſum credidimus, ut juſtificaremur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis: propterea quòd non juſtificabitur ex operibus legis ulla caro.*

Nos natura Judæi.] Tranſitio quædam eſt ad aliam

Epistolæ partem, quæ est de modo quo iustificatur ho
mo coram Deo: argumento autem à majori ad minu
ostendit quod dixit in reprehensione Petri, non cogen
das Gentes ut Judaizent, hoc est, sequantur in vita le
gem Molaicam. Nos, inquit, qui sumus natura, & gener
Judæi, etiam nos in Christum Jesum credimus ut justi
ficaremur ex fide Christi. &c. Quantò minùs igitur co
gendæ sunt Gentes, quibus lex non est data, Judaizare
& quærere justitiam per legem.

Peccatores] Peccatores peculialiter dicuntur in qu
bus regnat peccatum. Regnat autem peccatum in i
qui sunt absq; Christo, alieni à repub. Israëlis, extran
à pactis promissionis, spem non habentes, & Dei expe
tes in mundo: cujusmodi olim erant Gentes omne
excepta unâ Israëlitica Eph. 2. 12. Ideò hoc loco Ge
tes peculiariter hoc nomine insigniuntur: alioqui eni
omnes sunt peccatores, etiam regeniti ipsi, & in Chris
per fidem insiti. 1. Iohan. 1. 10. Si dixerimus nos n
peccasse mendacem facimus eum, & sermo eius non
in nobis. Posteà autem cap. 3. 9. cum de regenitis loq
tur, quisquis, inquit, natus est ex Deo peccatum n
committit.

Scientes non] Inchoatum argumentũ interpellat
gressiuncula & parenthesi, in qua est ratio cur Jud
genere justificentur fide, non ex operibus legis. Ra
autem est à forma illa five modo quo Deus hominem
stificat: modus est, non ex operibus, sed per fidem: n
dum hunc justificationis comprobatum dicit scien
vel potiùs conscientia Judæorum.

Scientes, inquit, per fidem Jesu] Modum hunc just
cationis solet Apostolus variè efferre, aliquando e
dicit nos justificari per fidem Christi, ut Rom. 3. 22
hoc loco: aliquando iustificari nos dicit per fidem n
Christi mentione facta, ut Rom. 3. 28. aliquando de
justificari nos dicit per Christum, suppresso fidei voca
lo, ut Rom. 5. 15. & posteà versu 17. Cæterùm idem
ista, five dicas justificari hominem per fidem Christi,
dicas hominem justificari per fidem, five denique d
homi

hominem justificari per Christum: significatur enim omnibus his locutionibus justificationis causa meritoria, quæ procurat nobis illam justitiam, nempe, Jesus Christus sed fide nostra apprehensus.

Etiam nos, inquam] Resumptio est argumenti inchoati & interpellati. Particula ἡμεῖς notat quiddam majus, quasi dicat, non tantùm Gentes sed etiam nos Judæi credimus in Christum, &c. Fides est ex hoc loco in ipsum Christum, ac Christi personam primùm: ex fide autem in Christum, sive Christi personam, participes simus justitiæ ipsius: qui enim particeps fit ipsius Christi per fidem, is quoq; particeps fit omnium beneficiorum ejus, ut justitiæ, ut vitæ æternæ. Quare causa meritoria justificationis nostræ, est ipsemet Christus crucifixus fide nostra appehensus: Deus autem ubi videt nos per fidem indutos ipso Christo, è suo tribunali pronuntiat nos justos in ipsius justitia & satisfactione. Quamobrem non est existimandum communionem esse aliquam cum aliquo beneficiorum Christi priusquam communio sit cum ipsomet Christo: primùm enim fides conjungit nobis ipsummet Christum, deinde beneficia ejus, & quæ in eo sunt omnia: Deus autem cum è tribunali suo intuetur illam communionem primùm Christi, deinde beneficiorum, in quibus est Christi satisfactio & justitia, nos in illius justitia justos pronuntiat.

Et non ex operibus] Non satis habet veram causam formamque justificationis exprimere, quin etiam contrariam removet, nempe, eam justificandi formam quæ est ex operibus, ut significet nos sola & unica hac forma justificandi, quæ est per fidem Christi, justificari. Vide Rom. 3. 28.

Propterea quod] Repetitur argumentum illud à forma justificandi, seu à modo quo Deus justificat hominem, quasi dicat, propterea quod non justficabitur homo ex operibus legis, sed ex fide Christi: argumenti repetiti amplificatio quædam est ex subjecto justificationis universaliter sumpto. Non justificatur, inquit, ulla caro, hoc enim majus est eo quod dictum est priùs, scientes non

justificari hominem ex operibus legis: sensus enim est, quasi dicat, in justificationis modo nullam esse personarum acceptionem. Neque aliter justificandos Judæos, aliter Gentes, aliter mares, aliter fœminas, &c. Verùm omnes omnino eodem planè modo justificandos, sicuti unus idemque Deus est qui omnes justificat Rom. 3. 30. & non est distinctio quod ad peccatum attinet, omnes enim peccaverunt Rom. 3.

17 *Quod si, dum quærimus justificari per Christum, reperimur & ipsi peccatores, num Christus peccati minister est? Absit.*

18 *Nam si quæ destruxi, ea rursus ædifico, transgressorem meipsum constituo.*

19 *Ego enim per legẽ Legi mortuus sum, ut Deo viverẽ.*

20 *Unà cum Christo crucifixus sum. Vivo autem, non amplius ego, sed vivit in me Christus, & vitam quam nunc vivo in carne, vivo per fidem Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.*

Quod si dum] Propositio disputationis sequẽtis, proximis verbis fuit: non statim autem eam confirmat, sed priùs occupat quod adversus propositionem illam justificationis per fidem, non per opera, à Judæo aliquo, vel inimico gratiæ Christi objici poterat: si, dicat aliquis, qui quærunt justificari per Christũ, vel justificantur per Christũ, reperiũtur tamẽ peccatores vel peccant, annon Christus cum gratia sua & justitia peccati minister est, hoc est, prębet animam peccandi? Vide similẽ occupationem, Rom. 6. 1. Illud enim hostes gratiæ & justitię Christi prętexunt impiæ sententiæ de justitia operũ, quo etiam oppugnant justitiã fidei: quòd si ex fide tantum sit justitia & non ex operibus, futurum sit ut frænum laxetur malis operibus: Quare ad hoc ut homines benè operentur, dicunt oportere sententiam illam justificationis per opera penitus animo insidere. Quasi verò nemo alliciatur ad bene operandum nisi insideat animo ejus impia illa opinio justificationis per opera.

Absit]

Absit] Objectionem illam occupatam, tanquam blasphemam, & à corrupta humana cogitatione profectam aversatur suo more.

Nam si quæ] Aversationis proximæ sive negationis ratio est per translationem culpæ à Christo in se: nam suã ipsius personam Apostolus hoc loco substituit, quasi dicat, Christus nõ est minister peccati: nam ego, si posteaquam jam justificatus sum, ædifico rursum peccatum, quod per justificationem destruxi; ego, inquam, transfressorem meipsum constituo, hoc est, mea ipsius culpa est, non Christi, & reatus ad me pertinet. Metaphora sumpta est ab ædificiis, quæ destruuntur propriè & ædificantur: ita etiam justificatus per fidem Christi destruit quodãmodo ac demolitur extructã illam peccati molẽ: destruitur autem peccatũ per regenerationẽ & mortificationem quę justificationẽ per fidẽ sequitur necessariò: ædificatur rursus peccatũ si post justificationẽ vivat quis in peccato, ut loquitur Rom. 6. 2. Præsupponitur justificatus destruxisse & mortificasse peccatum, hoc est, regeneratus esse præsupponitur, quod si igitur rursus peccet, & in eo incipiat peccatum regnare, jam profectò ædificat rursus quod destruxit.

Ego enim per] Per occupationis quandam speciem ostendit destruxisse se peccatũ. Ego enim, inquit, legi mortuus sum, id est, jam justificatus per fidem Christi, legi & peccato mortuus sum, hoc est, mortificatur in me peccatum hoc inhabitans & originale: nam legi mortuus esse dicitur in quo mortificatur vetus homo, qui, ut loquitur Apostolus Rom. 7. 5. per legem viget & vires suas exercit: unde lex virtus peccati dicitur, quia nimirum per legem existentes affectiones peccatorum vigent in mẽbris nostris ad fructũ ferendum morti. Ergo legi mortuus est qui mortificatus est, &, ut loquitur posteà, in quo vetus homo cũ Christo crucifixus est, & corpus peccati enervatũ est, Rom. 6. 6. Eodem sensu nos liberos dicit à lege. Rom. 7. 6. Liberi, inquit, sumus à lege mortuo eo in quo detinebamur, peccato videlicet. Per legem autem se dixit legi mortuum, non quòd lex causa sit mortificationis

peccati

peccati proxima, ac immediata. Christus enim ipsiusqu
Spiritus, hoc est, secundus maritus, ut vocatur Rom. 7.
propriè mortificationis causa est proxima: verùm ide
dicimur mortui esse legi per legem, quia, ut ait Apost
lus Rom. 7. 9. Legis adventu peccatum reviviscit, per l
gem enim peccati agnitio est & irritatio. Reviviscen
autem peccato, ait Paulus, homo moritur, qui priùs v
vebat, hoc est, dejicitur conscientiæ terroribus: nam a
nitio peccati & mortis simul sunt: ex morte autem insp
cta existunt conscientiæ horrores, atque hic effectus e
legis proprius, non ut moriatur peccatum, sed ut mori
tur ipse homo, hoc est, concutiatur terroribus conscie
tiæ, jam verò ita concussus ad Christum fese in Euang
lio offerentem confugit: apprehenso Christo per fide
per Christum justificatur: justificatus deinde regener
tur, hoc est, crucifigitur in eo vetus homo, nouus aute
homo creatur.

Ut Deo viverem] Mortificatio peccati explicatur s
fine ad quem tendit, nempe vivificatione: nam ideo m
rimur peccato ut vivamus Deo, & ideò mortificatur v
tus homo, ut vivificetur nouus homo: Sunt enim h
duæ regenerationis nostræ partes.

Unà cum Christo] Declaratio quædam est proximi l
ci: primùm autem declarat quod dixit legi se mortuu
esse: exponit autem illud, ex eo quod vnà cum Chri
crucifixus sit: crucifigimur autem vnà cum Christo qu
ad veterem hominem & peccatum inhærens, ideoq
Rom. 6. 6. dicit veterem illum nostrum hominem cu
Christo crucifixum esse: Crucifigi autem dicitur vet
homo unà cum Christo, quia merito & efficacia mor
Christi, mortificatur vetus homo: nam Christus mo
sua non tantum promeritus est nobis remissionem pe
cati, vel absolutionem à reatu peccati, verum etiam
demilla morte meritus est inhærentis peccati aboli
nem, neque tantum meritus est abolitionem peccati
hærentis, sed etiam per mortem suam efficax est ad p
catum inhærens mortificandum: Efficacia autem Ch
sti, vel mortis Christi, est per Christi spiritum oper

tem in cordibus nostris. Hæc autem quo melius intelligamus, sciendum est Christum efficacem esse in nobis, & per mortem & per vitam suam, sive, quod idem est, & mortem Christi, & vitam in nobis efficacem esse, verùm tum demum mortem Christi efficacem esse in nobis posteaquam resurrexit ac revixit: à vita enim Christi illa gloriosa procedit Spiritus sanctus, sine quo operante nō exeritur virtus illa quæ est in morte Christi: per Spiritum autem sanctum qui sequitur resurrectionem Christi primum in actum quasi educitur vis illa ac virtus quæ est in Christi morte, & Spiritus sanctus peccatum in nobis inhærens per vim mortis Christi mortificat, deinde eodem Spiritu sancto operante exeritur in nobis vis vitæ Christi gloriosæ, nimirum in nobis vivificandis. Vide Coloss. 2. 14. vbi dicitur Christus Chirographum rituum quod erat nobis contrarium cruci affixum è medio sustulisse: Quare quidquid destructum est ac abolitum vi mortis Christi illud dicitur crucifixum esse cum Christo.

Vivo autem non] Declaratio ejus quod dixit superiori versu, ut Deo viverem: Deo enim vivere nihil aliud est quàm ipsum hominem, quà nimirum carnalis est, non vivere, sed Christum in homine vivere: quid autem illud sit, Christum in aliquo vivere, verba sequentia ex ponūt, est autem vitam hanc, quam vivit quis in carne, hoc est, in mortali isto corpore, vel ut loquitur 2. Cor. 4. 11. in mortali carne nostra, vitam, inquam, illam vivere per fidem filii Dei: nam per fidem habitat quodammodo Christus in cordibus nostris, ut loquitur Eph. 3. 17. Cum igitur per fidem habitet Christus in cordibus nostris, profectò, beneficio fidei Christus vivit in nobis, & in cordibus nostris, ut non sit alia vita hæc nostra spiritualis ab illa vita Christi in nobis viventis, sed una eademque re & numero sit vita nostra & Christi. Quemadmodum enim non est alia, atque alia reipsa & numero, vita corporis & capitis naturalis, sed una eademque re & numero utriusque vita, propter arctissimam illam conjunctionem capitis & corporis, ita etiam, & quidem multò magis una eademque re, ac numero est vita nostra spiritua-

lis

lis & Christi, quantò arctior & maior est capitis Christi & nostri conjunctio quauis cõjunctione naturali, ideoq; Apost. Col. 3. 4. vocat Christum vitam nostram, & 2. Cor. 4. 10. dicit Christi vitam in se manifestam esse. Vt verbo dicam, vita nostra spiritualis, nihil aliud est quàm vita Christi viventis in nobis.

Qui dilexit me] Notat causas fidei suæ in Christum, primùm dilectionem Christi, qua nos prosequitur, deinde ex dilectione voluntariam illam Christi pro nobis mortem: hæc enim duo conciliant fidem nostram in Christum. Nota igitur fidei nostræ objectum non filium Dei tantùm, sed filium nos diligentem, & dilectionem suam morte tam voluntaria reipsa ostendentem: vnde Rom. 3. 25. dicitur fides in sanguine ipsius.

21 *Non abrogo gratiam Dei. nam si per Legem est justitia, igitur Christus sine causa mortuus est.*

Non abrogo] Hactenus digressus est ab instituta propositione, de modo quo Deus hominem justificat: nunc revertitur ad institutũ, & aggreditur propositionis probationem. Primum autem argumentum est à fine mortis Christi in hanc formam. Si per legis opera est justitia, Christus frustrà mortuus est: at Christus non est frustrà mortuus, ergo per legis opera non est justitia. Assumptionis sententia præcedit: nam hæc idem sunt re ipsa, abrogare Dei gratiam, & dicere frustrà vel sine causa mortuum Christum. nam Christum tollere & inutilem reddere, est gratiam Dei tollere, quia tota gratia & misericordia Dei in Christo constat. Sequuntur autem verba quæ in assumptione sunt ex profunda quadam consideratione dilectionis illius Christi & beneficii de quo proximè. Eruptio autem videtur esse in exclamationem quandam, quasi dicat, hanc ego tãtam Dei in Christo gratiam nunquam abrogabo, aut irritam faciam.

Nam si per] Propositio syllogismi, ex qua illud vides, justitiam per legis opera nullum locum Christo relinquere, & irritam ejus mortem reddere. Si enim non in

eum

um finem mortuus est Christus, ut nos justificaret, pro-
ctò fruſtrà mortuus est: at si per opera legis justifica-
ur, non in eum finem mortuus est. Ergo si per opera le-
is justificamur fruſtrà mortuus est. Neque verò est
uòd homines partiantur justitiam inter legem & Chri-
um: nam antecedens hoc connexionis, *Si per legem est*
stitia, ita accipio, ac si dixisset, si per legem, vel ulla ex
arte est iustitia, aut si aliqua pars justitiæ nostræ operi-
us legis meritoriis tribuitur. Quòd autem non possunt
nsistere opera legis meritoria, & gratia Dei, sive Chri-
us in negotio justificationis, vide Rom. 11. 6. Quòd si
r gratiam, inquit, non jam ex operibus: Quòd au-
m nulla sit legis potentia ad nos justificandos, vide
om. 8. 3.

ANALYSIS CAP. III.

ARGUMENTUM.

Hujus cap. partes sunt variæ, primùm digrediens rur-
ab instituto, ex indignatione reprehendit defectionē
latarum ad versum usque 6. Deinde partim confir-
t justificationem per fidem, partim refutat justifica-
hem per legis opera ad versum usque 15. Tertiò pro-
itionem quandam affinem illi superiori quam refu-
it pertractat, nempe, legem non abrogare promissio-
n, ad versum usque 23. Quartò ulteriùs progressus
ogationem legis aliqua ex parte ostendit, simul etiam
positionis hujus, nos omnes filios Dei esse, universa-
tem obiter quasi confirmans ad finem capitis.

Mentes Galatæ, quis vos fascinavit ne obsequeremini veritati, quibus ob oculos Jesus Christus priùs fuerat ctus, inter vos crucifixus?

Hoc solùm cupio discere ex vobis, Ex operibus Legis tum accepistis, an ex fide per auditum percepta?

Adeò amentes estis? quum Spiritu inceperitis, nunc e perficimini?

4 *Tam multa passi estis frustrà? si modò etiam frustrà.*

5 *Qui igitur subministrat vobis Spiritum, & efficit virtutes in vobis, ex operibus Legis, an ex fide per auditum perceptæ* subministrat?

Amentes Galatæ] Prima pars cap. reprehensio defectionis Galatarum, quasi dicat, ô Galatæ, cur defecistis veritate agnita? Verùm non tam simplici propositione contentus, primum Galatas amentes compellat, ex sancta quadam ira & zelo veritatis. Causam autem notat defectionis eorum internam, nempe, amentiam, & demotionem quandam à mente, ut loquitur 2. Thess. 2. Ne citò, inquit, à mente demoveamini, deinde non dicit simpliciter, cur non obsequuti estis veritati, verùm quis vos fascinavit, inquit, designans causam defectionis externam, nempe, fascinationem quandam, ex qua fuit amentia illa & causa defectionis interna. Nam falsi doctores eos quasi fascinantes, & oculo malo intuiti, dimoverunt à mente sua: Ergo amentia fuit ex fascinatione quadam. Vocabulum hoc translatum est à veneficis, qui vel intuitu suo interimunt eas res quibus malè volunt.

Veritati] nempe, agnitæ, & perceptæ.

Quibus ob] Primum argumentum reprehensionis, à vivâ illa & efficaci prædicatione Euangelii, quâ quasi ante oculos ipsorum & coràm depictus est Christus, qui est Euangelii subjectum: nam sermo crucis, ut vocat ab Apostolo 1. Cor. 1. 18. evidens esse debet, adeò ut oculis quadammodo Christum eumque crucifixum, præsentet. Atque hæc est demonstratio illa spiritualis potentiæ, quam Apostolus requirit in oratione & sermone de cruce 1. Cor. 2. 4. Sermo hic proculdubio spiritualis est, hoc est, à dictante Spiritu sancto est, & per quasi loquente, quemadmodum res ipsa (quæ est Christus, ejus crux, ejus gloria, ejus beneficia) spiritualis ac planè cœlestis: vide 1. Cor. 2. 13.

Inter vos] Graphicam hanc descriptionem & detectionem Christi, de crucifixione ipsius præsertim interpretatur: nam hæc est prima ac præcipua prædicatio

Ch

christi pars, quæ est de ipsius cruce; & fides nostra primum omnium Christum crucifixum pro peccatis nostris, & è cruce pendentem amplectitur. Quare etiam Euangelii prædicatio fidem nostram ad Christum, eumq; crucifixum, primùm adducit: vnde Paulus 1. Cor. 2. 2. prædicationem suam de Christo crucifixo potissimùm se admonet. Decreveram, inquit, nihil scire inter vos si Jesum Christum, eumque crucifixum.

Hoc solum cupio] Secundum argumentum reprehensionis ex effectis fidei in Christum, Spiritu sancto cum suis donis: quasi dicat, non accepistis spiritum ex operibus legis, sed ex fide: Ergo malè defecistis à fide ad opera legis. Hoc argumentum, quemadmodum primum illud, & sequentia, tractatur dialogismo: vrget enim Galatas ac pungit interrogationibus, ad hoc ut respondeant, si quid pro se habeant: Consopitis enim & amentibus opus est stimulis, ut ex lethali illo somno excitentur.

Ex operibus legis] Hoc est virtute operum legalium.

Spiritum] Spiritum sanctum intelligo cum donis suis, præsertim extraordinariis illis: nam in primitiva Ecclesia qui Christo nomen dederunt, acceperunt dona illa primitus extraordinaria, ut donum linguarum, interpretationis, loquutionis, prophetiæ, &c. ad hoc ut testimonium Christi, hoc est, Euangelium in ipsis confirmaretur. Vide 1. Cor. 1. 4. & deinceps.

An ex fide] Fidei nomen propriè accipio, ut anteà dictum, pro fide illa in Christum Jesum: nam fidem in Christum sequitur Spiritus sanctus Ephe. 1. 13. Postea quam credidistis obsignati estis spiritu illo promissionis sancto: non dicit fidem simpliciter, sed auditionem fidei, quo significat fidem esse ex auditu Rom. 10. 17.

Adeò amentes] Tertium argumentum reprehensionis quo reprehendit eorum defectionem ex causa sua, nempè amentia; nam qui deficiunt à veritate, illi necessò primùm à mente dimoventur, ac amittunt sanam mentem, ut loquitur Apostolus 2. Thess. 2. 2. Ergo defectio & apostasia arguit amentiam, ac non immeritò apostatis amentia objicitur.

Quum

Quum Spiritu] Amentiam ostendit ex progressu quodam ipsorum, ut sic dicam, præpostero; est autem quòd à perfectiori ad imperfectius progressum fecerunt, cum qui in aliqua re proficit, ac verè progressum facit, initium facit ab imperfectiori, definat autem in perfectius. Spiritus nomine intelligo, ut suprà, Spiritum sanctum, & internam illam veritatem, qui ministratur per Euangelium Christi. Carnis autem nomine intelligo externum cultum legalem, non modò umbras illas legis, sed etiam legis moralis opera, quæ carnis nomine appellantur. Rom. 4. 1. Judæi quibus lex olim data fuit, progressum fecerunt à lege (quæ erat pædagogus ad Christum Gal. 3. 24.) ad Spiritum & veritatem quæ est in Christo Jesu; & hic quidem verè progressus fuit: at cum Galatæ quibus nulla lex data est exorsi primùm à Christo, ejusque Spiritu ac veritate, progressi sunt ad legem Judaicam, profectò non tam progressi sunt, aut profecerunt quàm regressi sunt ac defecerunt.

Tam multa passi] Quartum argumentum reprehensionis ex effectu quodam alio defectionis ipsorum: defectione enim sua omnẽ illam afflictionẽ quam pro Euangelio perpessi sunt inutilem reddiderunt: Ergo male defecerunt, nihil enim frustrà faciendum, multò minus ferendum aut tolerandum: at verò nisi perseveremus in veritate ad finem vsque in nihilum redeunt omnes labores, omnes ærumnæ quas perpetimur in hac vita.

Si modò etiam] Correctio est qua mitigat asperitatem præcedentis interrogationis; q. d. quanquã ne hoc quidem mihi persuadeo vos tã multa perpessos esse frustrà. Vide igitur vt lenitatẽ severitati admiscet in reprehendendo.

Qui igitur] Repetit argumentum reprehensionis secundum, utpote efficacissimum ad Galatas convincendos, & os eorum quasi obturandum: urget enim sensibilia, ut sic dicam, effecta & testimonia, quæ ipsi Galatæ experti sunt ex Euangelio Christi, & fide in ipsum sola præcedere. Magis autem explicatum repetitur quam suppositum est: nam causam subministrantem, Spiritum subindicat, cum suprà tantùm dixerit, accepisse eos Spiritum

ritum: & ſpiritum quodam modo definit, per virtutes ſpiritus: addit enim: & efficit virtutes in vobis.

6 *Sicut Abraham credidit Deo, & imputatum eſt ei pro juſtitia:*

7 Ita *noſtis, nempe eos qui ex fide ſunt, eſſe filios Abrahæ.*

8 *Providens autem Scriptura Deum ex fide juſtificaturum Gentes, ante euangelizavit Abrahæ: Benedicentur, inquiens, in te omnes Gentes.*

9 *Itaque qui ex fide* ſunt, *benedicuntur cum fideli illo Abraham.*

10 *Nam quotquot ex operibus legis ſunt, ſub execratione ſunt. Scriptum* eſt *enim, Execrabilis quiſquis non manſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro Legis, ut faciat ea.*

11 *Nullum autem per legem juſtificari apud Deum manifeſtum* eſt: *ſiquidem juſtus ex fide vivet.*

12 *Lex autem non eſt ex fide, ſed Qui fecerit ea homo, vivet in ipſis.*

13 At *Chriſtus nos redemit ab execratione Legis, dum pro nobis factus eſt execratio: ſcriptum eſt enim, Execrabilis quiſquis pendet in ligno:*

14 *Ut in Gentibus benedictio Abrahæ extet in Chriſto Jeſu, & ut promiſſum illum Spiritum accipiamus per fidem.*

Sicut Abraham] Hactenus digreſſus eſt ab incepta inſtituti probatione, in gravem apoſtaſiæ Galatarum reprehenſionẽ. Nunc ſedata quaſi mente, ipſos incipit docere, reditque ad inſtitutam illam probationem, in qua hoc notandum, eum viciſſim refutare ac confirmare: vltimo enim verſu capitis ſuperioris, uno argumento cæpit refutare juſtitiam ex operibus, hoc verò loco confirmat juſtitiam ex fide. verſu verò. 10. poſteà refutat juſtitiam ex operibus: Sive autem refutat juſtitiam operum, ſive confirmet juſtitiam fidei, eodem res redit: ea autem docendi ratione ac viciſſitudine, illa doctrina de juſtificatione manifeſtior evadit: cum & vera juſtificandi forma comprobatur, & falſa refutatur. Hoc itaque loco confirmat juſtitiam fidei exemplo Abrahami in hanc formã,

Quemadmodum justificatus est Abraham pater, eodem modo justificantur filii ejus. Idem enim est fœdus cum Abrahamo ipsiusq; filiis initum, Ero Deus tuus & seminis tui post te Gen. 17.7. At Abraham pater justificatus est per fidem. Ergo per fidem quoque justificantur filii. Propositio, ut quæ manifesta sit, non habetur in textu. Assumptio est hoc versu 6. sic autē videtur sequi ex proximo loco. Primum intelligenda est responsio reddenda interrogationi, quæ facta est superiori versu in hunc sensum. q.d. non ex operibus legis, sed ex fide, subministrat Deus vobis spiritum, &c. Deinde illustratur responsio hæc, tacita quadam Abrahami similitudine. q.d. Quemadmodum Abrahamo ex fide sua imputata est à Deo justitia, vel justitiæ donum, quod longè maximum est omnium & multis partibus vincit dona illa omnia extraordinaria & miraculosa: atque ita transitū sibi facit ad institutam illam quam diximus probationem: ex hac enim similitudine Abrahami concludit institutum, nempe nos fide justificari.

Imputatum est ei] Nempe id quod credidit vel illud credere ipsius Abrahami: non quidem quòd imputata sit justitia Abrahamo propter apprehensionem illam fidei ipsius, verùm imputata est ipsi justitia propter Deum in Christo quem fide apprehendit, hoc est, propter fidei objectum, fide tamē ipsi applicatum, tanquam causa instrumentali. Significatur autem hoc loco causa meritoria ac procurans virtute & dignitate sua imputationem illam justitiæ, cum dicit [*& imputatū est illi ad justitiam*] sensus enim est, quasi dicat, Deus propter illud credere, hoc est, propter alienum meritum quod ipse fide apprehendit, justum eum censuit. Imputandi vocabulū mutuatitium est ac sumptum à rationibus subductis, qui enim præest rationibus subducēdis, is propriè dicitur imputare hoc est, ut nos loquimur vulgò, *to give allowance*, nos autē in scriptura dicimur reddituri rationē Deo in ultimo illo die 1. Pet. 4. 5. Deus igitur illo die præfuturus est quasi rationibus accipiendis, & subductis jam rationibus imputaturus est iis qui talentum acceptum benè collocārunt

justitiam

justitiam, hoc est, ex operibus laturus est sententiam tanquam totidem testimoniis fidei in Christum Jesum. Vocabulum autem hoc imputandi commune est & operanti, & credenti: Si enim aliqua essent opera nostra meritoria, profectò Deus justitiã ex iis nobis imputaret; verùm, cum nulla sint, justitiam ex alienis, hoc est, Christi operibus imputat. Quod si ex nostris dicatur imputare justitiam, id fit ideò quòd opera regenerationis testentur fidẽ in Christũ propter quem solum imputat justitiam. Quod autem vocabulum hoc sit commune, vide Rom. 4. 4. Ei qui operatur, inquit, merces non imputatur ex gratia, sed ex debito. Ergo etiam ei qui operatur, & qui meretur operibus suis, dicitur justitia & merces imputari. Ut autem imputationis vocabulum sumptum est à rationibus quæ subducuntur, ita justificationis vocabulum traductum est à foro & judiciis.

Ita nostis] Infert ex proximo exemplo Abrahami, conclusionem de justitia fidei.

Esse filios] Hoc est, justificari: nam in eo sumus filii Abrahæ, quòd quemadmodum ille credidit & justificatus est, ita nos quoque credentes justificemur: & ille pater noster dicitur quòd exemplo imputatæ justitiæ nobis præeat. Vide de hac re Rom. 4. 11. & deinceps.

Prævidens autem] Secundum argumentum quo ostendit justificationẽ per fidem: est autem ab exemplo Gentium & justificationis earum, quam testimonio & prædictione scripturæ confirmat: primùm autem proponit] ac admonet Scripturam Gentium justificationem ex fide prædicere. Deinde testimonium Scripturæ in medium affert. Tertiò, concludit justificationem ex fide. Enthymema est. Scriptura antè Euangelizavit Abrahamo Deũ ex fide justificaturum Gentes, ergo qui ex fide sunt benedicuntur sive justificantur. Scripturam intelligo Spiritum sanctum per Mosen scribentem: nam propriè Spiritus hoc prævidit, & antè euangelizavit. Nota ordinem in prædicendis futuris, primùm qui prædicit futura, prævidet ea, unde etiam Prophetæ dicti sunt videntes.

Gentes] Prædictionem hanc ac promissionem Apo-

stolus interpretatur de Gentibus, quæ erant alienæ à repub. Israelis: concludit autem, ut videbimus, ex justificatione Gentium per fidem, omnium sine discrimine justificationem per fidem: nam eadem est regula atque ratio justificandi omnes, & singulos: Quemadmodum unus idemque Deus est: Sic in superiori argumento, ex singulari exemplo Abrahæ, & formula qua ipse justificatus est, nempe, ea quæ est per fidem, concluſit omnium justificationem per fidem. Vide Rom. 4. 23. vbi postquam dictum est imputatā esse fidem Abrahæ pro justitia, subjecit, non scriptū est propter eum solum, sed etiam propter nos. Et Rom. 3. 30. Siquidē unus, inquit, Deus est, qui justificabit circumcisionē ex fide, & præputiū per fidem.

In te] Adducto in medium testimonio Scripturæ ostendit propositionem suam, nempe Scripturam id prædixisse, Deum ex fide justificaturū Gentes, q.d. Nam hæc sunt Scripturæ verba, Benedicentur in te &c. *in te*] hoc est, ut & verba precedentia & sequentia exponunt, tibi per fidem inferendæ: nam fidem intelligendam esse in hac locutione, *in te*, ostendit primum quod dixit in prima parte versus, Deum ex fide justificaturū Gentes, deinde quod sequitur versu sequēti, Qui ex fide sunt benedicuntur. Porrò in Abrahamo intelligitur ejus semen. Nam tum cum hæc promissio facta est ei, in lumbis ejus erat caput illud benedicti seminis Jesus Christus secundum humanam suam naturam: secus enim non erant inferendæ Gentes per fidem Abrahamo: fides enim non incumbit nisi Deo, vel homini qui etiā Deus est, hoc est Christo Jesu. Alibi autē in Genesi ubi hæc ipsa promissio repetitur, expresse mentio fit seminis Abrahami, Benedicētur, inquit, in semine tuo omnes Gentes, Gen. 22. 18.

Itaq; qui ex] Ex fide esse, est credere; aut pendere ex conditione fidei in justificatione, ut versu sequenti. Ex operibus legis esse, est operari aut pendere ex conditione operum.

Benedicuntur] In conclusione retinet verbum quod in promissione illa fuit citata Gen. 12. 3. Benedictionem autem verbo intelligit justificationem, de qua quæsti-

est

est,& quæ Benedictionis quædã species est. Sic Rom.4.6 Beatitatis nomine,quam citat ex Davide, intelligit eandem justificationem, cum tamen illud nomen Beatitatis commune sit omnibus Dei beneficiis.

Cum fideli illo] Obscurè hoc loco est argumentum à simili exemplo Abrahami repetitum, ad illustrationem præsentis complexionis: nam sensus est: q.d. Quemadmodum Abraham justificatus est per fidem.

Nam quotquot] Hactenus duobus argumentis ostendit justificationem per fidem, nunc vicissim docet nõ esse justitiam per opera legis, estq; hoc secundũ argumentum, quo id ostenditur: primum enim fuit capite superiori versu 21. Est autem argumentum à contraria execratione, quæ ex operibus legis cõsequens est: contraria enim sunt execratio & benedictio, sive justificatio. Syllogismus est. Quotquot sub operibus legis sunt, sub execratione sunt. Ergo ex operibus legis non est benedictio, sive justificatio. Adducitur autem hoc argumentum per occupationem: Nam occasione proximæ conclusionis objici potuit, annon qui ex operibus legis sunt, benedicuntur? huic occurrit, quasi dicat, qui ex operibus legis sunt, non benedicũtur: nam qui ex operibus legis sunt sub execratione sunt. Particula enim γὰρ reddit rationem intellectæ illius negationis, per quam respondetur objectioni.

Scriptum est] Antecedens confirmat testimonio Scripturæ, ex Deut.27.26. Porrò hæc est illa comminatio quæ conjuncta est cum fœdere legali, cujus formula sequitur vers.12. de quâ etiam vide Rom.10.5. Nam hoc est fœdus legale, Qui fecerit omnia quæ scripta sunt in lege, vivet in ipsis: huic promissioni conjuncta est comminatio: Execrabilis quisquis non manserit in omnibus &c. In hac comminatione intellige omnia & singula. Nam nota hac universi generis intelligitur obedientia undequaq; perfecta. Lex enim Dei requirit, ut Deum diligamus toto corde, tota anima, totis viribus; adeò ut si non præstetur plena obedientia, jam non satisfactum sit legi; imò, ut inquit Jacobus, Si quis offenderit in uno jam reus sit omnium. Jacob.2.10.

Nullum autem] Hoc tertium est argumentum, quo ostendit justitiam non esse per legem. Primùm est propositio concludenda, deinde est ratio à testimonio. Notandum quod dicit neminem justificari apud Deum: nam de justificatione non ea quæ est apud homines (qui externam operum faciem duntaxat intuentur) sed ea quæ est apud Deum, qui internã cordis sinceritatem respicit, disputat Paulus, Rom. 4. 2. concedens quodammodo Abrahamo justificationẽ ex operibus apud homines: negat tamen illi justificationem apud Deũ. Justificatio autem apud Deũ est sententia absolutoria ab ipso Deo profecta.

Siquidem justus] Testimonio ex Propheta Abacuc, de justitia fidei, confirmat propositionem suam, cujus sensus est; justus vivet ex fide, nimirum per quam justus sit: Ergo habemus in hoc testimonio justitiam esse per fidem. Porrò citat Apostolus hoc testimonium tanquam manifestum de justitia fidei: ideò ait *manifestum est*. Pro justitia fidei usurpavit hoc testimonium Rom. 1. 17. Videtur Apostolus plurimi semper fecisse testimonium istud prophetæ, ut quod tam apertum fuerit de justitia fidei.

Lex autem non] Assumptio est syllogismi: nam totus syllogismus est: Justitia est per fidem; lex non est fides, ergo per legem non est justitia: nam hãc assumptionem ita intelligo ac si neget fidem de lege, utpote cum illa planè pugnante. Sequitur igitur, quod si legi eũ fide convenire non potest, &, si justitia est per fidem, sequitur, inquam, justitiam nullo modo esse per legem: nam hæc duo lex & fides, adeò pugnant, ut si ex fide fit justitia, jam non sit ex lege: ac è contra, si ex lege, jam non sit ex fide. Quemadmodum Apostolus Rom. 11. 8. disputat de gratia & operibus. Si electio, inquit, per gratiam est, non jam ex operibus est. Possunt quidem, fateor, consistere fides, & lex, gratia & opera: verùm, cum quæritur de causa justificationis meritoria & principali efficiẽte, profectò tum adeò dissiliunt à se invicem hæc duo, ut si unum ponas alterum neges necesse sit. Nam gratia Dei in efficiendo & justificando non patitur ullo pacto societatem meriti humani, ut neq; Christus quem fide apprehendimus ad

justifi-

justificationem: nam vult Deus gratiam suam in Christo solam esse, ad hoc ut soli sit gloria. In primis enim quærit Deus gloriam suam ex gratia & misericordia sua.

Sed qui] Legem non esse fidem, vel nihil legi esse cōmune cum fide ostendit ex formula fœderis legalis, cujus conditio, quæ est operum, cum fide non potest consentire: facere enim & credere non consentiunt, neque concurrunt ad causam vitæ æternæ constituendam: secus consentire possunt ut causa & effectum suum, non autem, ut sic loquar, ut concausæ ejusdem effecti.

At *Christus nos*] Occupatio enam ex comminatione illa legali, de qua suprà vers. 10. conscientiæ Galatarum sic assumere & concludere potuerunt; at nos non mansimus in omnibus quæ scripta sunt in libro legis ut faciamus ea: ergo nos sumus execrabiles. Apostolus nō negat quidem execrabiles esse, sed respondet ex effecto Christi, quo omnes homines redemit ab execratione legis.

Dum pro nobis] Redemptionem illam Christi declarat ex forma & modo quodam suo: modus est, redemit nos, dum execrationē illam sub qua fuimus nos, in se transtulit, & nostram quasi vicem supplevit. Similem locutionem vide 2. Cor. 5. 21. fecit ut qui non novit peccatum pro nobis peccatum esset, ut nos efficeremur justitia Dei in illo. Factus est igitur primùm pro nobis peccatum, hoc est, imputatū est illi peccatum nostrum: deinde factus est pro nobis execratio: execratio enim legalis sequitur peccatū, sive illud inhæreat, sive imputetur; ut è cōtra. Benedictio Euangelica sequitur justitiā, sive illa inhæreat sive imputetur: ut non fit quòd Papistæ irrideant justificationem & benedictionē esse ex aliena, hoc est, Christi justitia nobis imputata. Irrideant eâdem opera execrationem Christi esse ex alieno, hoc est, nostro peccato ipsi imputato: neque enim audent dicere Christum propter suum & inhærens peccatum execrabilem factum fuisse. Nota hoc loco redemptionem nostram carè Christo constitisse: ex quo illud apparet, & quantum mali sit in peccato, & quàm inviolabilis sit Dei justitia: Deus enim ne filio quidem suo gratificatus est peccatorum vitam,

sed ut peccatoribus parceret, filio suo non pepercit: neq; redemit filius à Patre vitam nostrã minori pretio quàm precioso suo sanguine. Ex hoc quoq; apparet, quàm cara sit Christo Ecclesia sua, quàm cara etiam ecclesiæ singula membra, utpote tam caro pretio redempta. Paulus Act. 20. 28. dum commendat presbyteris Ephesinis Ecclesiam Dei, dicit acquisitam esse Dei sanguine, quo significat Deo caram esse ac pretiosam.

Scriptum est enim] Christum factum pro nobis execrationem docet testimonio Scripturæ, Deut. 21. 23. Quando docet quëcunq; è ligno suspensum execrationem factum esse. Argumentum est: Execrabilis quisquis pendet in ligno: at Christus pependit in ligno: Ergo factus est execratio. Nota Christum non ideò execrabilem fuisse quia pependit in ligno, verùm ideò pependisse eum in ligno quia execrabilis fuit. Nam suspensio ex ligno mortis & pœnæ genus fuit execrabilibus & maledictis destinatum in lege Dei, & execrationis vera causa est peccatum: Christus verò priùs fuit maledictus quàm suspensus fuit & crucifixus. Crucifixio autem testimonium quoddam fuit externum, quo Deus toti mundo manifestum fieri voluit, quòd Christus factus est pro nobis execratio.

Ut in Gentibus] Redemptionem nostri ab execratione per Christum illustrat duplici fine, prior est, ut erga Gentes execrationi contraria benedictio Abrahæ extaret in eodem Christo Jesu. Nota igitur nos in Christo nõ tantùm redemptionem habere ab execratione legis, sed etiam execrationi contrarium beneficium, nempe, benedictionem Abrahæ promissam, hoc est, quod vulgò dicimus, in Christo non tantùm remittuntur peccata nostra, sed etiam in Christo justificamur. Dicit in Gentibus nominatim extare benedictionem Abrahæ, non autem in nobis, ut superiori versu dixit, Christum nos redemisse, hoc est, tam Judæos, quàm Gentes: nimirum quia de gentibus tum quæstio fuit, an etiam ad eas pertineret benedictio Abrahæ, & justificatio: nam de Judæis, hoc est, de naturali semine Abrahæ, nulla tum quæstio fuit. Vocat autem benedictionem Abrahæ, quia ut Abrahæ

ejusque

usque semini primùm promissa est, ita ad Abrahamum usq; semen propriè & peculiariter pertinebat: ad Gentes autem non primũ aut propriè pertinebat benedictio, rùm quatenus erant inserendę Abrahamo ejusq; semini: neq; enim naturales rami erant, sed, ut loquitur Apostolus Rom. 11. 17. Oleaster erãt insitæ Abrahamo & ejus semini, & participes factæ radicis & pinguedinis oleæ.

Et ut promissum] Posterior finis priori subordinatus; nam justificationem, quæ benedictionis nomine intelligenda est, sequitur sanctificatio, de qua in hoc fine, Quos justificavit, eos glorificavit, Rom. 8. 30. Posteaquàm credidistis obsignati estis Spiritu illo promissionis sancto, Eph. 1. 13. Ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditione fidei Gal. 3. 2. Nam per fidem, & justificationem fidei purgantur corda nostra, ac sanctificantur. Non dicit Spiritum simpliciter, sed promissionem spiritus, hoc est promissum Spiritum; quia Spiritus sanctus cum donis suis promissus fuit jam olim per Prophetas: vide Act. 16. &c. Eodem sensu vocat Spiritum promissionis Ephes. 1. 13. Vel promissio Spiritus hoc loco potest intelligi, promissio illa, spiritualis benedictionis facta Abrahamo, suprà versu 8.

15 *Fratres, humano more loquor, Hominis licèt pactionem authoritate confirmatam nemo abrogat, aut ei aliquid superaddit.*

16 *Abrahæ verò dictæ sunt promissiones, & semini ejus. Non dicit, Et seminibus, ut de multis: sed ut de uno, Et semini tuo, qui est Christus.*

17 *Hoc autem dico, pactionem antè confirmatam à Deo respectu Christi, Lex quæ post annos quadringentos & triginta cœpit, non facit irritam, ut aboleat promissionem.*

18 *Nam si ex Lege est hereditas: non jam ex promissione: Abrahæ verò per promissionem gratificatus est Deus hereditatem.*

19 *Quid igitur Lex? Transgressionum gratia addita est, usquequò veniisset semen illud cui facta est promissio: Lex, quam ordinata per Angelos, per manum interventi.*

20 *Inter-*

20 *Interruntius autē, unius non est: Deus verò unus e*

21 Num igitur Lex addita est *adversus promissiones Dei? Absit. nam si data fuisset Lex quæ posset vivificare, v*
rè ex Lege esset justitia.

22 *Sed conclusit Scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus.*

Fratres humano] Occasione proximi loci in quo me minit promissionis illius factæ Abrahamo, digreditur i doctrinam de promissionibus, deque earum firmitate demonstratur itaque hoc loco hæc conclusio. Lex no abrogat promissionem: de qua disputatur ad versum u que 23. Posteà verò à versu 23. ad finem usq; capitis, de monstrat alteram quandam conclusionem, nempe, ve niente fide lex non amplius est pædagogus; vel, non su mus amplius sub lege. Est igitur his verbis prioris illiu conclusionis primum argumentū cum præfatione qua dam: præfatio est de genere argumenti: est enim sump tum ab humanis negotiis: ideò dicit, humano more lo quor: quasi dicat, utor exemplo quod sumam ex medi & promiscuo hominum usu. Rom. 3. 5. in alio quodam sensu utitur iisdem his verbis, illic enim, humano mo loqui, est, ex corrupto hominum sensu loqui.

Hominis licet pactionem] Syllogismus est in hanc for mam. Si fit hominis pactio autoritate confirmata, nem eam abrogat, aut aliquid ei superaddit: atqui pactio cu Abrahamo est confirmata à Deo: Ergo lex non abroga eam. Argumentū est à minori, exemplo humanarū pa ctionū. Syllogismus est cōnexus primus: In assumption assumitur majus quā quod fuit in antecedente proposi tionis. [*Autoritate confirmatā*] vulgò dicunt authenticā

Aut aliquid] Hic intellige omnes eos modos quibu vitiari possit pactio aut corrumpi, sive dematur aliqui de ea, sive addatur ei aliquid, sive denique aliquo mod immutetur ac pervertatur.

Abrahæ verò dictæ] Assumptio, quasi dicat, dictæ pro missiones Abrahæ à Deo sunt cōfirmatæ, sic accipiendi esse hunc locum sequens versus docet, ubi assumptioni

sententi

mentia repetitur. Postò promissionem hanc intellige hereditaris, quam fecit Deus Abrahamo & semini ipsius: promissio enim particularis Abrahamo facta duplex fit: prima seminis: secunda hæreditatis, quam promisit Abrahamo & semini; de hac vide Gen. 15. 18. Rom. 4. 13. loco has particulares promissiones, ut distinguam eas toto fœdere gratuito, quod his verbis conceptum fuit, Ero Deus tuus & seminis tui post te, Gen 17. 7.

Non dicit] Obiter & per digressiunculā annotat quasi vocabulum seminis, cujus mentio fit in promissione: annotat autem quòd non dictum sit pluraliter, seminibus, verùm singulariter, semini, idque in eum finem ut designetur unus Christus.

Qui est Christus] Quasi dicat, atqui hoc quidem semen, quod unum est ac singulare, est Christus. Interpretatur igitur illud semen singulare de Christo capite seminis benedicti: Nam ad eum peculiariter ac propriè pertinent omnes promissiones benedictionum omnium, qui est hæres omnium Heb. 1. 2. per quem rursus ad credentes quoscunq; in ipsum, derivantur: Quod autem Christi nomine, nō intelligatur hîc Christus, quem vocant mysticum, hoc est, Christus cum membris suis, hoc est, cum Ecclesia sua, apparet ex sequenti versu in quo Christi nomen propriè capitur, cum dicit, pactionem antè confirmatam à Deo respectu Christi. Nota igitur hoc loco: Deum in promissione illa facta Abrahæ & semini, nomine seminis intellexisse primum & propriè caput illud benedicti seminis Jesum Christum: deinde in illo secundo quasi loco, reliquum Abrahæ semen, sive ex Judæis, sive ex Gentibus, etsi non sine discrimine aliquo: nam in promissione priùs respexit Judæos & naturale semen Abrahæ, quàm Gentes. Experientia enim satis docuit non nisi postremo loco ad Gentes pertinere Dei promissiones, Act. 3. 25. 26. & 13. 46.

Hoc autem dico] Conclusio per asseverationem quandam quasi dicat, hoc affirmo atq; asseveró pactionē, &c. Cum hac conclusione conjuncta est assumptio repetita.

Ante] Hoc est, multò antequam lex lata est, ex tem-

poris

poris enim circumstantia, & pactionis antiquitate, c
clusionem affert atque amplificat: non enim verisim
est, legem ideò datam ut promissionem quæ multò a
data est, abrogaret: antiquitas igitur commendat pro
sionem Dei, atq; eam legi succedenti dignioremredd
neque tamen sequitur quò quid perpetuò antiquius
eò dignius illud esse, etsi in aliquibus rebus prærogati
sit, & dignitas, à tempore & antiquitate.

Respectu Christi] Nempe qui fuit semen illud Abra
cui promissio facta est: promissio igitur & facta est Ch
sto, & facta est in Christo tanquam mediatore, nisi en
ille à principio intercessisset mediator inter Deum
hominem, profectò fœdus illud gratuitum cum homi
non fuisset ictum. Paulus 2. Cor. 1. 20. Quotquot, inqu
sunt promissiones Dei, in ipso sunt etiam & Amen, h
est, in ipso constantes sunt ac invariabiles, nimirum, qu
ipse est fundamentum supra quod sunt quasi extructæ,
in quo stant firmiter in æternum, ac complementu
suum capiunt.

Lex quæ post annos] Ut priùs ab antiquitate comme
davit promissionem, ejusq; dignitatem amplificavit, i
minuit quodammodò legis authoritatem ac dignitate
præ autoritate illa promissionis, à temporis, ut sic d
cam, posterioritate: nam data est lex ex monte Sin
quadringentos & triginta annos post datam Abraham
promissionem. Hi fuerunt anni peregrinationis popu
Israëlitici, quibus finitis eo ipso die egressi sunt ex Æ
gypto Exod. 12. 14.

Ut aboleat] Nam facta irrita pactione, aboletur sim
promissio: constat enim pactio promissione cum cer
aliqua conditione reddita.

Nam si ex] Secundum argumentum ejusdem conclu
sionis, à complemento promissionis hereditatis, hoc e
ab ipsa possessione hæreditatis quæ promissa fuit: adi
enim hæreditatem illam Abraham cum semine suo, no
vi legis sed promissionis. Argumentum est. Non cessit A
brahæ hæreditas ex lege. Ergo, lex non abrogat promi
sionem. Probatur antecedens. Cessit Abrahamo hæred

ex promissione: Ergo non ex lege. Probatur sequela, non potest cedere ex utroque simul: nulla gratia ex utroque, & lege operum, & gratuita promissione contingit.

Hæreditas] Hæreditatis nomine intelligo primùm regionem Canaan, tanquam typum, deinde ipsos cœlos, & cœlestem regionem tãquam rem significatam: Nã quod Abrahamum ipsum, nunquam missus est in possessionem terræ Canaan, hoc est, Typi, cui tamen dicitur hoc modo Deus gratificatus esse hæreditatem per promissionem. Et Rom. 4. 13. dicitur promissio, hoc est, promissa hæreditas, cessisse: Ergo hæreditatis nomine præcipuè hoc loco intelligenda est cœlestis illa Canaan, in cujus possessionem missus est Abraham.

Non jam ex] Posita lege tollitur promissio, ergo lex & promissio cõtraria sunt, neq; concurrere possunt ad nos vel justificandos vel servandos. Dico non posse concurrere tanquam causam justificationis, & salutis nostræ: ex enim & legis opera important meritum & debitum, promissio verò importat meram gratiam in Christo Jesu & ejus solo merito. Vide Rom. 4. 4. 5. Ei, inquit, qui operatur, merces, non imputatur ex gratia, sed ex debito: debitum autem & gratia consistere unà non possunt: Ergo lex & promissio simul esse nõ possunt. Potest quidem lex cum operibus suis unà consistere cum promissione, tanquam effectum gratuitæ promissionis & justificationis nostræ, arguens nos in gratiam redjisse cum Deo, & justificatos jam esse, imò dico legis opera necessariò antecedere sententiæ justificationis plenam executionem, hoc est, glorificationem nostram; non tamen ut glorificationis causam aliquam meritoriam sed ministram ac subservientem, sine qua non sit glorificatio. Ut hanc rem paulò altiùs repetamus, Justificatio, sententia est, non modò justitiæ, sed & vitæ, ac gloriæ: sententiam hanc nullum bonum opus antecedit, nisi fidem fideique apprehensionem (quæ est in efficaci vocatione) dixeris: executionem autem hujus sententiæ, præsertim quod ad gloriam vel glorificationem attinet, necessariò antecedunt bona opera, quæ sunt effecta

quidem

quidem ſententiæ juſtificationis, cauſæ autem minis
ac ſubſervientes executionis ſententiæ, hoc eſt, gloria
tionis. Dicã planiùs, & rem explicabo hac ſimilitudi
Non ſecus afficiuntur bona opera in hac vita ad me
illam glorificationis, ſive perfectæ ſanctificationis, qui
afficitur progreſſio per viam aliquam ad terminum
quem progreſsio fit: niſi quis progreſſum faciat, vel
bulando, vel currendo, vel aliquo ſaltem modo mov
do, non aſſequetur terminum vel metam deſtinatam
niſi quis ambulaverit in bonis operibus, vel cucurr
in ſtadio illo bonorum operũ, non perveniet ad meta
Quia verò abutuntur adverſarii cauſæ nomine, quod
priùs audiũt quam meritoriam cauſam intelligant, id
nos libenter abſtinemus ab illo nomine, ac tutiùs app
labimus bona opera, bonam converſationem, vitæ ſa
ctimoniam, quæ via eſt qua tendimus ad gloriæ per
ctionẽ, appellabimus, inquam, mediũ, atq; illud neceſ
rium, quo itur ad perfectionem gloriæ, & vitam æterna

Quid igitur] Occupatio, q. d. Quis igitur eſt legis uſ
ſi non hic, ut per legem obtineant homines hæreditat

Tranſgreſſionum] Reſponſio eſt ex proprio legis uſu
qui eſt, ut peccata coerceantur, & inordinati hominum
affectus cogantur in ordinem, ne modum excedant, &
externam omnem diſciplinam perturbent. Hic propri
fuit finis datæ legis, de quo etiam poſteà hoc capite ver
ſu 23. & 24. vbi lex primùm præſidio, deinde pædagoge
comparatur: uſus autem ille, de quo Rom 5. 20. qui e
ut augeretur offenſa, non eſt per ſe legis uſus, ſed per ac
cidens, ut docet Apoſt. Rom. 7. 8. Nam peccatũ, hoc eſt
caro & corruptio nativa, occaſione ſumpta per legẽ ge
nuit omnẽ cupiditatẽ, & per eam evaſit ſummè peccãs.

Uſquequò] Hunc legis uſum circumſcribit ſuo tempo
re, tempus autem eſt adventus Chriſti, qui fuit ſemen il
lud cui facta eſt promiſsio. In eandem ſententiam dici
poſteà verſu 23. Judæos ſub legis præſidio concluſos in
eam fidem quæ erat revelanda, hoc eſt, in fidem Chriſti,
& verſu 24. dicit legem pædagogum fuiſſe in Chriſtum.
Ex quo apparet Chriſti nomine ſuprà V. 16. non Chri-

ſtum

mina mysticum quem vocant, sed ipsummet Christum,
gloriæ corporis sui, Ecclesiæ intelligendum: nam data est
lituc usquequò venisset Christus, & lex pædagogus fuit in
me Christum, ut ex fide in eum justificaremur. Nota rursus
is, qui isto propriè ac primùm factam esse promissionem
num meditatis.

vel lex, inquam, ordinata] Obiter digreditur in legis Mo-
moyæ commendationem, ne omnem illi authoritatem
tam tribuere videatur, commendat igitur legem ex mini-
sterio suis, primùm Angelis, deinde Mose: Nam quod ad
netagelos, in ferenda lege eorum fuisse aliquas partes,
uod patet ex historia Heb. 12. 18. &c. Nam sine dubio tum
t, id nitati sunt Deum legislatorem, & ille tubæ sonitus,
appquo Heb. 12. 19. ab iis certè profectus est.

æ *per manum*] Hic est Moses, qui in ferenda lege, inter
perfum & populum intercessit tanquam mediator. Moses
cessim mediator fuit fœderis legalis, ut Christus Euan-
rnalici, & fœderis gratuiti, unde Johan. 1. 17. Lex dicitur
s vir Mosem data esse, nimirum ut mediatorem: Gratia &
tatitas per Jesum Christum.

us *internuncius*] Rursus digreditur in definitionem quā-
num internuncii sive mediatoris, simulq; in oppositam
r, tandam Dei ipsius definitionem: definitio internuncii
ius hæc est, non est unius, scilicet, partis, sed duarum partiū
versidentium nempe Dei & hominis. Huc videtur perti-
ogere hæc descriptio, ut indicet legem cujus minister fuit
i et Moses, signū fuisse, non concordiæ & pacis, sed discordiæ.

ac *Deus verò*] Descriptio Dei superiori opposita, quòd
est Deus sit unus sibique semper similis: unitas hæc non tam
ge i essentiam Dei, quæ una est, quàm ad consilia & actio-
s. es ipsius referenda est.

o *Num igitur*] Per proximam illam Dei descriptionem
il transitū sibi fecisse videtur ad instituram conclusionem,
ciuam ex ea infert, hoc versu; nam sensus est, quasi dicat:
inum igitur Deus sit unus, constans sibi & immutabilis, an
i, itur legem dedit adversus promissiones suas: ex eo e-
n im sequeretur Deum varium ac mutabilem esse. Est igi-
ur hoc argumentum instituæ conclusionis tertium à

Dei

Dei natura immutabili ſempérque ſibi ſimilis Deus ſu
unus ſemperq; ſibi ſimilis, Ergo data lege, non abro
promiſsiones ſuas: hoc enim eſt id quod hîc dicit,
addita eſt adverſus promiſsiones Dei, quaſi dicat, an
addita eſt ut aboleat promiſsionem Dei? promiſsion
dicit pluraliter, ut & ſuprà verſ. 16. fortaſſe quòd ead
promiſsio hæreditatis, facta Abrahamo & ſemini ipſi
ſæpius repetita ſit.

Abſit] Reſpondet interrogationi per deteſtationem

Nam ſi data] Argumentum eſt inſtitutæ concluſio
quarum à legis efficacia, vel potiùs impotentia, in ha
formam. Si data fuiſſet lex quæ poſſet vivificare verè
lege eſſet juſtitia; vel, quod idem eſt, lex aboleret pro
ſionem: hoc enim ex illo conſequens eſt: atqui lex n
poteſt vivificare: ergo ex lege non eſt juſtitia. Lex n
poteſt vivificare, hoc eſt, mortuis in peccato, anima
indere, quia non habet comitem vivificantem illum Spi
ritum, hoc eſt, Spiritum regenerationis: vide 2. Cor. 3
litera occîdens dicitur, & verſ. 9. miniſterium conde
nationis. Lex igitur potentia eſt, non ad vitam, ſed
mortem; ut Euangelium potentia eſt ad ſalutem & vi
æternam cuivis credenti. De hac legis impotentia que
ad vitam: vide Rom. 8. 3. cum enim legis impotentia nih
poſſet in carne. Porrò cõnexionis hujus veritas ex eo a
paret: quòd ſi poſſet lex vivificare perfectéq; regenera
hominẽ, tũ profectò homo juſtus eſſet ex operibus legi

Sed concluſit] Aſſumptio ſyllogiſmi: at lex non pote
vivificare; ſententia enim eſt, quòd tantum abſit lex
eo ut vivificet, ut è contrà concludat omnia ſub pecca
& mortificet. Scripturæ nomine hoc loco intelligo leg
ſive Scripturam veteris teſtamenti, quæ tota ferè eſt
lege. In eandem ſententiam Rom. 11. 32. dicit Deu
concluſiſſe omnes in contumacia: Ergo: ſenſus eſt ho
loco, quòd Deus in ſcriptura concluſerit omnia ſub pe
catum. Omnia, hoc eſt, omnes homines, & quicquid
homines pertinet: nam etiã res creatæ in hominis uſu
ſequitur ſtatũ ac conditionẽ hominis: concluſo homi
ſub peccato & miſeria, ſuo quodã modo & ipſæ conclu
ſun

sunt: vide Rom. 8 19. & deincepsRursus liberato homine
peccato & miseria, & ipsę res creatę suo quodā modo li-
berātur, ibidē & 2. Cor. 5 17. Ecce nova facta sunt omnia.

Ut promissio] Hoc est, ut esset justitia per fidem, & per
consequens staret promissio: conclusio est, quæ pendet
ex assumptione tanquam finis. Promissionem intelligo
beneficia promissa, quæ pendent ex fide Jesu Christi, ac
proinde non dantur nisi credentibus. Hæc conclusio æ-
quipollet negatæ: Ergo ex lege non est justitia: quæ hoc
loco inferenda fuit. Nota hoc loco: occasione miseriæ,
sub qua conclusi sunt omnes homines, misericordia ca-
tam fuisse: nam hoc illi subjungitur tanquam finis: atq;
id est quod in eundem sensum loquitur Rom. 11. 32.
Conclusit Deus omnes in contumacia ut omnium mise-
reretur. Atque id est, quod tantopere admiratur eo loco
Apostolus, cum dicit, O profundas divitias tum sapien-
tiæ, tum cognitionis Dei! admirabilis enim est artifex
Deus qui vitam ex morte, lucem ex tenebris, justitiam
& vitam ex peccato & miseria educit.

23 *Antequam autem venisset fides, sub Legis præsidio*
tenebamur, conclusi in eam fidem quæ erat revelanda.
24 *Itaque Lex pædagogus noster fuit in Christum re-*
spiciens ut ex fide justificaremur.
25 *At postquam venit fides, non amplius sub pædagogo*
sumus.
26 *Omnes enim filii Dei estis, per fidem in Christo Jesu.*
27 *Nam quicunque in Christo baptizati estis, Christum*
induistis.
28 *Non est Judæus neque Græcus, non est servus neque*
liber, non est masculus ac fœmina. omnes enim vos unus
estis in Christo Jesu.
29 *Quòd si vos estis Christi, nempe Abrahæ semen estis,*
& secundum promissionem hæredes.

Antequam autem] Hactenus demonstratum est, legem
non abrogare promissionem: nunc demonstrat, nos
postquam venit fides non amplius sub lege tanquam pę-
dagogo esse, hoc est, ipsam legem quodammodò esse a-

brogatam. Primùm autem est propositio, in qua propo
nitur nos non esse ampliùs sub lege tanquam pedagoge
Propositio autem nō est nuda, sed explicata dissimili cō
paratione superioris nostræ cōditionis, quæ fuit sub leg
ante fidei adventū: primùm itaq; his verbis est dissimili
tudinis protasis, q.d. ante advētum fidei sub lege fuimus

Fidei] Fidei nomine intelligo Christum fide apprehē
dendum: nā pro fide versu sequente Christū ipsum nomi
nat, dum dicit legem pædagogū nostrū fuisse in Christū

Sub legis] Legem intelligo non ceremonialem modò
sed & moralem, adeóq; totam legem Dei: nam sub totiu
legis præsidio detenti sunt olim Judæi, & tota lex po
Christi adventū ipsis abolita fuit, etiā moralis quoad ju
stificationem & condemnationē; & morali lege tanqu
præsidio circūposito in ordinē fuerāt coacti vel maximè

Præsidio tenebantur] Judæorum statum sub lege, ve
potiùs legis dominiū in Judæos, variis modis effert; pri
mùm exponit ipsum metaphora sumpta à præsidio, qu
concluſi tenentur captivi, ita ut nulla ex parte pateat i
evasio, aut effugium: deinde dominium legis exponi
metaphora sumpta à pędagogo, à quo quasi manu ducī
tur pueri & rudiores, versu sequenti. Tertiò exponit ip
sum metaphora sumpta à tutoribus & curatoribus, sub
quibus detinentur infantes, & ætate minores tanquam
servi totidem, capite sequenti ℣. 2. & 3. Status igitur Ju
dæorum sub lege tanquā præsidio olim fuit quasi capti
vorum: Status etiā Judæorum sub lege tanquā pædago
go olim fuit quasi puerorū & rudiorum: Status deniq; ip
sorum Judæorum sub lege tanquā tutrice aut curatrice
fuit quasi pupillorum. Hoc igitur loco dicit Judęos fuisse
sub lege tanquā præsidio, non illo quidem quo muniun
tur liberi ac sui juris homines, præsertim principes, se
quo concludi solent captivi ne effugiant: de præsidio ad
muniendum liberos comparato, vide Philip. 4. 7. quo lo
co dicit, Et pax Dei quæ superat omnem intellectum
præsidium erit cordibus vestris, non quidem quo corda
nostra in servitute, & captivitate quadam detinenda
sunt, sed quo munienda sunt adversus omnem tentatio
nem, ad hoc, ut de nulla re sint soliciti.

Conclusi

Conclusi in eam fidem] Hoc effectum est ejus quod proximè dixit præsidii: præsidio enim undique concludimur ita ut non possimus effugere.

In eam fidem] Hic finis est cur legis præsidio concluſi fuerunt Judæi, vel potiùs tempus est quo captivitas eorũ sub legis præsidio circumscripta fuit. Est autem tempus ad adventum usq; Christi, quo veniente liberati sunt ex illa legis servitute. Porrò in eundem sensum dicit versu sequenti, in Christum, quo hîc dicit in eam fidem, &c. ut illud intelligamus, de quo suprà monuimus, pro eodem sumi hoc loco, & passim apud Paulum, fidẽ & Christum. Nunquam enim legas apud Paulum fidei vocabulum, cum solùm sumitur, nisi in hoc sensu, nempe, Christo fide apprehenso; nisi fidem dixeris nonnunquam pro doctrina fidei usurpari, vel pro fidei dono; ut cum dicitur, cuiq; sapiendum esse prout Deus partitus est mensuram fidei, Rom. 12.3. vel pro persuasione quavis, ut Rom. 14. 22.23. Dicam verbo, in negotio justificationis non aliter accipitur fidei vocabulum seorsim sumptum, quàm pro Christo fide apprehenso.

Itaque lex] Eandem protasin clariùs repetit, & legem pædagogo comparat. *In Christum*] Hoc est, usq; ad Christum. *Ut ex fide*] Hoc est, ut ex fide Christi justificaremur: hic enim usus est fidei in Jesum Christum, ut per ipsum justificemur. Fides enim primùm credit Christum pro nobis mortuũ esse & resurrexisse: atq; hęc est ea quæ dicitur fides Christi. Deinde per illam fidem in mortem & resurrectionem Christi justificamur, hoc est, beneficium justificationis à Deo cõsequimur, nõ quidem virtute fidei, hoc est, apprehensionis nostræ, verùm Christi ejusque meriti virtute, ita tamen ut fide nostra apprehendatur in efficaci vocatione justificationem antecedente.

At postquã venit] Hactenus fuit protasis dissimilitudinis: sequitur apodosis, & præcipua concluſio hoc loco demonstranda; nempe quòd adveniente Christo non amplius sint Judæi sub lege tanquam pædagogo, vel quòd iis lex quodammodò abolita sit.

Omnes enim] Ratio est cur non simus sub lege tanquam pædagogo: est autem à contraria conditione qua

filii Dei sumus: pugnant enim ista, sub pædagogo esse, et filios esse: nam qui sub pædagogo sunt, servi sunt aliquo modo; qui verò filii sunt, liberi sunt. Valet ergo sequela ab affirmatione filiorum ad negationem pædagogi: sumus Dei sumus: ergo non sumus sub pædagogo.

Per fidem] Causam notat cur simus filii efficientem, meritoriam, nempe fidem in Christo; vel, quod idem sit, Christum fide apprehensum: nam quemadmodum, postquam in efficaci vocatione Christus fide apprehenditur, est, censemur deinde justi in illa fide; ita etiam per eandem illam fidem censemur filii. Porrò eodem loco assumere solet Apostolus, justificationem & adoptionem nostri. Nam cum dicit Rom. 8. 30. Deum quos vocavit eos justificasse, haud dubiè adoptionem justificationis nomine intelligit; idque non immeritò: nam Deus unus eademq; opera nos justos in Christo censet ac pronunciat filiis nos reputat: & quemadmodum ex justificatione sequitur glorificatio, ita ex adoptione, vel eò quod filii sumus. Paulus Rom. 8. 17. deducit hæreditatem illam æternam, quæ nihil aliud est re ipsa quàm nostra glorificatio. Quòd si velis distinguere beneficia hæc justificationis, & adoptionis, dicemus adoptionem quasi amplificationem quandam justificationis: Deus enim quos semel justos censuit, eos quasi arctius amplectitur & pectus filiis suis habet in Christo Jesu.

Nam quicunque] Filios Dei esse eos docet, noque tantum, sed & universos sine discrimine filios esse ostendit, ex illa cum Christo συμφυΐᾳ, qua Christi facti sunt ipsumq; induerunt, in hanc formam. Qui Christum induerunt ii omnes filii Dei sunt: at omnes vos Christum induistis; ergo omnes filii Dei estis. Assumptionem probat hoc versu à symbolo baptismi: baptismus enim signum est adeoque organon συμφυΐας & conjunctionis cum Christo. Syllogismi forma est, Quicunq; in Christum baptizati sunt Christum induerunt: at omnes sine discrimine in Christo baptizati estis: Ergo omnes sine discrimine Christum induistis. Porrò Christũ induere, est cum eo arctissimè cõjungi, &, ut loquitur Apostolus Rom. 6. complantari cum eo similitudine mortis & resurrectionis

ipsius, cujus conjunctionis symbolum est baptismus.
taphora sumpta à vestibus ac indumentis: conjunctio
quàm Christi & nostri variarum rerum tam naturalium,
tàm artificiosarum conjunctionibus in scriptura figu-
ratur, ut capitis & membrorum, ut vitis & palmitum, ut
viri & uxoris, ut fundamenti & ædificii, ut indumenti
& induti. Quarum omnium conjunctionum nulla tam
perfecta est, quàm est Christi & membrorum ipsius. Id enim
quod figuratur perpetuò quiddam majus est figura sua,
eaque quiddam in se infinitum & incomprehensibile,
quod Spiritus rebus quibusdam familiaribus, & compre-
hensibilibus pro nostro captu solet adumbrare.

Non est Judæus] Occupatio, cum homines tam diversi
nationè, conditione, sexu, quomodo fit ut omnes
Christum induerint, & Christi sint? Respondet, in Christo
hanc discrimen Gentis, conditionis, sexus sublatum
esse; & rationem addit à contrario: in Christo enim om-
nes sunt unus homo. Simile vide Colos. 3. 11. Ubi non est
Græcus & Judæus, &c. Paulus Rom. 3. 22. paucis hoc ip-
sum expressit cum dixit, Nō enim est distinctio. Nomina
fiunt omnia hæc, discrimina naturalia & politica, in
Christo sublata esse dico in Christo ejusque respectu, se-
quia enim manent, hoc est, respectu hujus vitæ & hujus
populi, quorum respectu necessaria sunt hæc discrimina
nationum, conditionum, sexuum, ideoque à Christo non
tollantur sublata, sed ab eo sanctificata, cū alioqui respectu vo-
cationis, justificationis, vitæ de inq; æternæ sublata sint.

Unus estis] Unum hominem vocat, & Eph. 2. 15. unum
in homine novū, idq; in Christo Jesu, cujus hominis unius
Christus ipse caput est: nos autem omnes corpus sumus,
ideò ibidem vers. 16. dicit nos reconciliatos in unō cor-
pore: nos igitur omnes inter nos efficimus unū corpus,
cum in Christo autem simus unus homo, cujus caput est
Christus, nos verò corpus. Summam hanc conjunctionē
expressit Coloss. 3. 11. Christus est omnia & in omni-
bus. Hujusmodi quoque est illa loquutio 1. Cor. 15. 28.
Deus erit omnia in omnibus, qua significat nostri & Dei
summa & ineffabilis quædam conjunctio; eaque ex du-
plici sensu, priori, quòd Christus erit omnia; posteriori,

quòd idem ille Christus erit in omnibus, id est, impl
præsentia sua omnes pariter. Cum igitur unus Chri
futurus sit omnia, idq; in omnibus; profectò omnes fu
ri sunt unus in illo uno, qui omnes impleturus est.

Quod si vos] Hæc est propositio illius syllogismi, de
suprà: nam Abrahæ semen esse, & filios Dei esse, idē
reipsa: vide Rom. 9. 8. Non, inquit, qui filii carnis sun
filii Dei sunt, sed qui filii promissionis sunt, censentu
semine, nempe, Abrahę, hoc est, filii Dei sunt; id quod ex
oppositionis ratio. Porrò Christi esse, & Christum ind
re, idem sunt. *Et secundū*] Amplificatio quædam & co
mendatio seminis Abrahæ, sive filiorum Dei, ex hæred
tate illa cœlesti quam consequentur: Nam qui filii sun
necessitate hæredes sunt; hæredes quidem Dei, cohæ
des autem Christi, Rom. 8. 17. Causam hæreditatis co
jungit, nempe, promissionem gratuitam; ne putetur
lege hæreditatem illam obtineri.

ANALYSIS CAP. IIII.

ARGUMENTUM.

Hoc capite primùm redit ad dissimilitudinem illā co
ditionis Judęorū ante adventū Christi, & cōditionis p
ejus adventum, quæ fuit cap. superiori v. 23. 24. eamq
illustrat similitudine conditionis hæredis, quæ quidē a
est ante tēpus illud à patre præfinitū, alia verò post ill
tēpus: similitudo hæc est ad versum vsq; 8. Hinc digr
siones sunt aliquot ad versum vsque 19. Postremò ean
illam dissimilem conditionem docet per figurā quan
ex ipsa lege desumptā: docet, inquam, atq; concludit n
nunc nō esse sub lege, sed sub promissione, ad finē capit

1 *Hoc autem dico: Quam diu hæres est infans, nihil di*
fert à servo, quamvis sit Dominus omnium:

2 *Sed sub tutoribus & curatoribus est usque ad temp*
quod pater præfinierit.

3 *Ita & nos, quum essemus infantes, sub elemen*
mundi eramus in servitutem redacti:

4 *At postquam venit plenum tempus, misit Deus filiu*
sum

factum ex muliere, factum Legi obnoxium:

5 Vt eos qui Legi erant obnoxii, redimeret, ut adoptionem acciperemus.

6 Quoniam autem estis filii, emisit Deus Spiritum filii sui in corda vestra, clamantem, Abba, id est, *Pater.*

7 Itaque non amplius es servus, sed filius: quòd si filius, etiam hæres Dei per Christum.

Hoc autem dico] Præfatur se clariùs expositurum dissimilem illam cõditionem, de qua superiori cap. 23. 24. q. d. id quod dixi, ante fidei adventum nos sub lege fuisse, post verò fidei aduentum nos nõ ampliùs sub lege esse: ego dico illud & expono hac sequenti similitudine magis apertè. *Quãdiu hæres*] Protasis similitudinis, cõtinens dissimilem hæredis statum, qui fuit ante præscriptum à patre tempus, & qui est jam post præscriptũ à patre tempus. Quamdiu hæres infans est, & cum nondum venit illud tẽpus à patre præscriptũ, manet tanquã servus sub tutoribus & curatoribus: at postquàm venit tempus à patre præfinitũ, non ampliùs est sub tutoribus & curatoribus. In hac protasi similitudinis primum est conditio hæredis dũ infans est, sive antequã venit tempus à patre præfinitũ, ad alteram vsq; partẽ *V.* 2. quo deinde loco est cõditio hæredis postquã venit tẽpus à patre præfinitum.

Quamvis sit] Exaggeratio conditionis illius hæredis quam dixit proximè ex diversis: q. d. quamvis jure sit Dominus, tamen dum infans est nihil differt à servo.

Sed sub] Ostendit nihil differre à servo, ex eo quòd subjiciatur tutoribus & curatoribus tanquam Dominis: Est obnoxius curatoribus & tutoribus tanquam Dominis, ergo servo similis est. Argumentum est ex relatis, vel potius paribus in relatis, Tutores ac curatores sunt domini ejus dum infans est, ergo ipse servus est.

Vsq; ad tempus] In hac tẽporis limitatione intelligenda est altera pars protaseos, nẽpe cõditio hæredis post tempus à patre præfinitum superiori dissimilis: q. d. at postquàm venit tẽpus à patre præfinitũ, & ex infantia excessit hæres, jã nõ est servus, neq; sub tutoribus & curatoribus.

Ita & nos] Redditio similitudinis, continens dissimi-

litudinem conditionis noſtræ, partim quæ fuit ante ad-
uentum Chriſti, partim quæ eſt jam poſt aduetum Chri-
ſti, q.d. eodem modo nos, qui hæredes ſumus jure, ante
adventum Chriſti, quo tempore tanquam infantes fui-
mus, ſub lege eramus in ſervitutem redacti: at verò poſt-
quam venit Chriſtus, redempti ſumus à legis ſervitute,
ac donati filiorum libertate.

Sub elementis] Elementa dicuntur ritus illi & ceremo-
niæ legales, adeoque tota lex, ſive legis doctrina, quæ
elementaris dum taxat fuit, reſpectu doctrinæ Euangelii,
quæ eſt de Chriſto, & de ipſo corpore, quæ quidem do-
ctrina legalem ac veterem ſubſecuta eſt, & illius ſuperio-
ris reſpectu perfecta quædam & abſoluta doctrina & eſt
& dicitur. Lex ſuperiori capite verſ. 20. comparata eſt
pedagogo, qui manu ducit puerum, tradito ipſi doctrinæ
prima elementa & rudimenta; nunc verò comparatur
ipſis elementis & rudimentis quæ tradutur à pædagogo.
Hoc nomine vocantur ritus legales Coloſſ. 2. 20. Mun-
dum opponit ſpirituali regno Chriſti: mundum enim in-
telligit ſæculum rude ac craſſum, & quaſi terrenum, vel,
ut ſic dicam, homines mundanos, & terrena, non autem
cœleſtia, & ſpiritualia ſapientes. His hominibus opus fuit
primis hiſce elementis, ac rudimentis religionis, quibus
tum erudirentur, tantiſper dum ex mundanis, & terre-
ſtribus herent ſpirituales. Ergo elementa referuntur ad
mundum & homines mundanos & terreſtres: doctrina
Euangelii, quæ eſt de Chriſto refertur ad regnum Chri-
ſti ſpirituale, & homines ſpirituales ac cœleſtes.

At poſtquam] Altera pars redditionis continens diſſi-
milem ſuperiori conditionem eam quæ nunc eſt poſt
Chriſti adventum. Notandum quòd non dicat jejunè
(ut ſuperiori capite verſ. 20.) At poſtquam venit fides, vel
Chriſtus, redempti ſumus à lege: verùm dicat, poſtquam
venit plenum tempus, emiſit Deus, &c. Alludit autem ad
tempus illud præfinitum à patre aliquo terreno, de quo
ſupra verſ. 2. Plenum itaque tempus eſt, tempus à Deo
patre preſcriptum miſsioni filii ſui in mundum. In genere
tempus à Deo alicui rei preſtitutum plenum dici poteſt:
in ſpecie verò tempus illud præſtitutum à Deo adventui

Chriſti

christi plenum dicitur, ut hoc loco. & Eph. 1. 10. Præ-
riptum enim fuit hoc tempus rei longè maximæ & sa-
rari inprimis: nam etsi multa sunt respectu rerum mul-
rum, quæ quotidiè accidunt, plena tempora; tamen ple-
a tempora dicũtur κατ' ἐξοχὴν respectu rerum quarum-
nque, & eventuum maxime illustrium, ut respectu le-
is datæ populo Israëlitico, respectu primi adventus Chri-
i, respectu secundi adventus Christi. Dum dicit, post-
uam venit plenum illud tempus, emisit, &c. significat nõ
otuisse mitti Christum in mundum priusquam illud
empus à patre præscriptum omnibus suis punctis, &
omentis esset completum.

Emisit Deus] Factum est Dei in pleno tempore. Non
itur nudè, & jejunè dicit Christum venisse in mũdum,
d, ut ipsius adventus gloria Deo Patri tribuatur, auto-
em ejus narrat Deum patrem & factum ipsi tribuit: vi-
e simile Rom. 8. 3.

Factũ ex] Modus est adventus sive missionis filii Dei
n mundum: Missus enim in mundum est speciali quo-
am modo, dum factus est ex muliere: alioqui enim filius
Dei in mundo jam fuit à principio, sed speciali quodam
odo tum manifestatus est, nempe in carne: vide Ioh. 1.
0. In mundo erat, inquit, & mundus per eum factus est,
uo significat in mundo fuisse filium Dei ante manife-
ationem ipsius in carne: tum addit, ad suos venit, quo
gnificat specialem quendam filii Dei adventum, cum,
imirum, caro factus est, ut expresse loquitur eodem ca-
ite postea vers. 14. Porrò factum dicit ex muliere eodem
ensu, quo Rom. 8. 3. conformatum dicit carni peccato
bnoxiæ. Eodem sensu dicit Ioh. 1. 14. Sermonem carnẽ
actum esse: factus est filius Dei ex muliere, non secundũ
eitatem, sed secundũ carnẽ, ut Apostolus circumscribit
oc locutionis genus Rom. 1. 3. Facto, inquit, ex semine
Davidis secundum carnem. Cæterùm ipsa locutio indi-
at filium Dei fuisse priusquã factus est, ac proinde Chri-
tum Deum esse, vel ex hoc locutionis genere colligitur.

Factum legi] Secunda pars narrationis facti patris, pri-
a enim fuit in filio suo emittẽdo & aptando illi corpus,
t loquitur David Psal. 40. 7. Secunda autem est in red-

dendo jam missum, legi obnoxium, hoc est, legis execrationi, suprà 3.13. factus est autem sub lege quia prius factus est ex muliere: neque enim execratio ea sub qua fuimus cõpetere potest nisi in carnẽ & naturam humanam. Quamobrem oportuit redemptorẽ nostrum hominem esse. Heb. 2.14. Ipse, inquit, consimiliter particeps factus est carnis & sanguinis, ut per mortem aboleret eum qui mortis imperiũ habuit. Tum posteà v. 16. Non enim, videlicet, Angelos assumpsit, sed semen Abrahæ assumpsit.

Ut eos qui] Finis cur filius Dei factus sit legi obnoxius, nempe, ut eos qui erant legi obnoxii redimeret, hoc est eos redimeret qui erant sub execratione legis, dum pro ipsis factus est execratio, suprà 3.13. factus enim execratio pro nobis, & suspensus è ligno, non modò liberavit nos à legis & peccati servitute, sed etiam morte sua sustulit è medio peccatũ & legem. Vide Rom. 8.3. Condenavit, inquit, peccatũ in carne, nempe, crucifixa: & Eph. 15. Inimicitiis, inquit, id est, lege mandatorum quæ in ritibus posita est, per carnem suam abolitis: & Coloss 2.15 Ac deleto quod adversum nos erat rituum chirographo quod, inquit, erat nobis contrarium, ipse verò cruci affixum è medio sustulit. Nam, ut paulò altiùs hoc repetã Cum quatuor numero sint hostes humani generis, diabolus, peccatum, mors, & lex, ut est virtus peccati; Christus cum nos redimeret è servitute istorum hostium, eadem opera omnes istos hostes peremit, sua nimirum ipsius morte: Liberatio enim per Christum non est nisi interemptis priùs iis à quibus captivi detinebamur: interemptio autem hæc facta est per suam ipsius mortem.

Ut adoptionem] Hic rursus finis est redemptionis à legis servitute, & execratione, ut nimirum ex servis filii & liberi evaderemus. In eundem sensum dixit suprà cap. 3 13.14. Nos redemptos esse ex maledictione legis, ut benedictio Abrahæ extaret in Christo Jesu: cernitur enim benedictio Abrahæ in vocatione, iustificatione, adoptione, denique glorificatione. Ergo in primo Christi adventu accepimus adoptionem, & manifestatum est quòd filii dei sumus; verùm plena adoptionis nostræ manifestatio rejicitur in secundum Christi adventum. Vnde Pau-

lus Rom.8.23. dicit nos etiam adhuc adoptionem, id est, redemptionem corporis nostri, exspectare: & 1.Ioh.3.2. dicitur nunc quidem nos filios esse, sed nondum patefactum esse quid erimus; scire autem nos fore ut cum ipse patefactus fuerit similes ei simus: & Eph.1.14. de nobis loquitur ac si nondum in libertatem essemus vindicati, cum dicit; Spiritum esse Arrhabonem libertatis nostræ dum in libertatem vindicemur ad laudem gloriæ ipsius.

Quoniam autem estis] Adoptionem nos accepisse ostendit ex testimonio Spiritus sancti, emissi in corda nostra, & clamantis Abba pater: quasi dicat, vel hac ratione cognoscetis vos adoptionem accepisse, & filios esse, quòd emissus in corda vestra spiritus clamet, Abba, pater: ideò autem quia estis filii datus est vobis spiritus. Nota, adoptionē causam esse Spiritus sancti, & regenerationis; quia enim adoptamur à patre in filio, ideò datur nobis Spiritus filii, cujus hoc est officium ut testetur unà cum spiritu nostro nos jam esse filios Dei, Rom.8.16. hoc est, nos censeri in numero filiorum; cum tamen natura simus filii iræ Eph.2.3. Unde spiritus adoptionis vocatur, nimirum quia testatur nos adoptatos esse in Christo; & arrhabo est hereditatis nostræ Eph.1.14. Testatur autē nos filios esse hoc ipso quòd demissus in corda nostra clamet, Abba, pater, hoc est, liberet corda à conscientia servitutis, cui erant objecta, ita ut jam liberata cum fiducia deum possunt inclamare. Liberat autem Spiritus corda, dum effundit in ea Dei in Christo charitatem Rom.5.5.

Emisit Deus] Donum hoc spiritus adoptionis nō jējunè quidem effert, sed describit primùm à primo ipsius autore & efficiente; Deo patre, ut ejus doni gloria in patrem redundet; deinde spiritum filii nominat, ad hoc, ut innuat à patre per filium emissum esse Spiritum, ut gloria quoque hujus doni sit filii: filius enim mittit Spiritum, sed à patre Ioh.15.26. dicitur autem hoc loco Spiritus filii, non autem patris, quia pater dedit filio spiritum suum cum omnibus donis spiritus, Ioh.3.34.35. Est tamē etiam spiritus Patris: nam hoc quod dicimus, dedisse patrem filio omnia, intelligimus de communicatione, nempe, quòd pater cum filio suo omnia cōmunicaverit. Ergo ita

data sunt filio omnia, ut interea patri reservata sint. Unde Ioh. 17. 10. mea omnia tua sunt, & tua mea sunt.

Clamantem] Eodem sensu dicit Rom. 8. 15. Nos per spiritum clamare Abba pater. Per spiritum, inquam, primò efficienter, cum corda duntaxat sint secundariæ causæ, & instrumentariæ Spiritus sancti: Ideò motus illos cordium spiritui tribuit principaliter, & hoc loco, & Rom. 8. 26. cum dicit spiritum interpellare pro nobis suspiriis inenarrabilibus: hoc enim locutionis genere illud planè significat primum motorem esse Spiritum sanctum; nos autem instrumenta esse duntaxat spiritus, viva tamen & non mortua, utpote non tantùm instructa naturali hac vita, verùm multò magis per eundem illum spiritum vivificata: vivificari autem spiritu συνεργοὶ sumus & cooperamur cum Spiritu sancto.

Patrem] Vocem Hebræam interpretatur Græcè, quo indicet Spiritum sanctum non clamare tantum, eumq; invocare Hebræo idiomate, sed etiam Græco, hoc est, aliarum gentium quarumcunq; idiomate. Nam Græcorum nomine communiter omnes Gentes exceptâ solâ Judæorum gente intelligûtur, ut passim ad Rom. Judæo primũ deinde Græco. Quòd si spiritus Deum inclamet patrem, etiã gentiũ quarũcunq; idiomate, profectò spiritus adoptionis etiã Gentibus datus est, unde Act. 15. 8. Deus, inquit, dedit iis testimonium, dato ipsis Sp. S. sicut & nobis.

Itaq; non] Concludit ex spiritus testimonio eos filios esse, vel, quod idem est, adoptionem accepisse, ut suprà v. 5. illustratur conclusio à contraria servi conditione.

Quod si filius] Amplificatio & commendatio quædam conditionis filiorum, à necessaria filii relatione ad hæredem: filii enim Dei necessariò omnes hæredes sunt. Hanc ipsam consequentiam habes Rom. 8. 17.

Per Christum] Pro hoc dicit Rom. 8. ibidem hæredes Dei, cohæredes autem Christi. Cæterùm ut per Christũ & in Christo filii Dei simus & adoptamur in filios Dei Eph. 1. 5. ita per eundem Christum hæreditatem consequimur. Christus enim solus naturalis est Dei filius, ac proinde hæres propriè: nos autem insitũ ipsi per fidem, tanquam fratri primogenito, Dei filii quodammodò, hoc

est

est, per adoptionem evadimus, iuxta promissionem, In semine tuo benedicentur omnes Gentes, hoc est, per fidem Christo insiti, ac proinde Christi fratres primogenjti. Evadimus etiã hæredes Dei in eo, ac proinde Christi cohęredes, ut vocamur Rom. 8. 17. Hinc apparet quænam sit conjunctio nostri cum Deo, quæ rursus cũ Christo filio. Conjunctio nostri cum Deo, est quasi filii cum patre; cum filio autem conjunctio est, quasi fratris cum fratre, eoq; primogenito: atque ideò cum fratre qui primas teneat & caput sit: unde etiam dicimur cum Christo conjungi, ut membra cum capite coadunantur.

8 *Imò tum quidem ignorantes Deum, serviebatis iis qui natura non sunt dii:*

9 *At nunc quum cognoscatis Deũ, imò potiùs edocti sitis à Deo, quomodo convertimini retrorsum ad impotentia & egena elementa, quibus retrorsus ab initio servire vultis?*

10 *Dies observatis & menses, & tempora, & annos.*

11 *Metuo de vobis ne frustra fatigatus sim apud vos.*

12 *Estote quasi ego: nam ego* sum *quasi vos: fratres, rogo vos. nihil mihi feciſtis injuriæ:*

13 *Noſtis autem me per infirmitatem carnis vobis priùs euangelizasse.*

14 *Et experimentum mei quod* fiebat *in carne mea, non pro nihilo habuistis, neque respuistis, sed me ut Angelum Dei, ut Christum Jesum, excepistis.*

15 *Quæ igitur erat beatitatis vestræ prædicatio? testimonium enim reddo vobis, vos, si fieri potuisset, oculos vestros effossos daturos mihi fuisse.*

16 *Itaque* num *inimicus factus sum vobis, dum vobis vera loquor?*

17 *Depereunt vos non benè, imò excludere nos volunt, ut se depereatis.*

18 *Sed præclarum est vehementer amare in re bona semper, & non solùm dum præsens sum apud vos.*

Imò tum quidem] Secunda pars capitis, in digressionibus posita, prima digressio est in reprehensionem apostasiæ, & defectionis ipsorũ qualis fuit cap. 1. 6. & deinceps, item cap. 3. ℣. 1. & deinceps. Ergo hoc loco jam tertia vi-

re eos reprehendit: Argumentū reprehensionis primum est à Dei cognitione, illa nimirum quæ est per verbum ipsius, non autem ea quæ est per naturam & res creatas, de qua Rom. 1.21. nam etiam ut ex eo loco discitur, ipsæ Gentes & Idololatræ cognoverunt Deum. Argumentatio est, Nunc quidem cognoscitis Deum: ergo quomodo convertimini retrorsum ad impotentia & egena elementa? q.d. illud non est tolerabile, quòd qui cognoscunt Deum convertant se retrorsum ad res inanes & vacuas gratiæ. Factum hoc ipsorum quod est ex cognitione Dei, exaggeratur facto ipsorum præcedente in colendis Idolis, idq; ex ignorantia Dei veri: q.d. tolerabile illud fuit, vos ignaros veri Dei aliquando servivisse Idolis: at nunc cum cognoscatis Deum, quomodo tolerari potest quòd convertamini retrorsum ad egena elementa?

Tum] Nempe, cum Judæi essent sub lege, vos tum inserviebatis Idolis, & lōgè deteriori loco fuistis quàm Judæi: longè enim præstantius fuit ante Christi adventum sub lege & ritibus legis vivere, quàm Idolis inservire.

Ignorantes Deum] Cognoverunt quidem Deum ex rebus creatis, sed ignorārunt quatenus ex verbo suo Deū non cognoverunt: Ignorarunt etiam, quia, ut dicitur Rom. 1,28. visum est iis Deum non retinere in notitia. Nam sua sponte excæcati sunt.

Iis qui natura] Naturam & veritatem opponit speciei & figmento: Nā Idola natura & reipsa dii nō sunt, verùm homines fingunt ea sibi deos esse: unde εἴδωλα vocantur: hōc est, non res ipsæ, sed species quædam & umbræ rerū inanes. Quare Apostolus 1. Cor. 8.4. dicit, Idolum nihil esse in mundo; significat nō esse rem, sed spectrū aliquod, & inane figmentum humani cerebri. Existit autem figmentū istud hoc modo, primum ex natura est aliqua veri Dei notitia Rom. 1.19. Deinde homines, qua sunt malitia, mutant gloriam incorruptibilis Dei, in efformatam imaginem mortalis hominis ibidem 23. mutant autem dum evanescunt in ratiocinationibus suis, ut est ibidem *v.* 21. cognoscunt igitur natura esse Deum. Sciunt etiam aliquo modo quis sit Deus, eumque in rebus creatis intuentur; sed vix affulsit iis lux illius maiestatis cum evanescit

nescit quasi ex oculis. Illi autem palpitando in tenebris Deum quærunt, ut dicitur Act. 17.27. non tamen inveniunt: nihilominus non desistunt, verùm pro Deo vero, speciem Dei, hoc est, figmentum suum apprehendunt & colunt; repræsentat autē sibi illud figmentum & speciem illam in efformata imagine mortalis hominis, quadrupedum, volucrium, reptilium: nam Idolum quod peperit cerebrum parat manus.

Ac nunc quū] Quasi dicat per cōparationem præteriti facti & præsentis; præteriti, inquam, tanquam minoris ac minùs detestandi; præsentis tanquam majoris & magis detestandi: quasi dicat, multò minus tolerabile est illud quòd post cognitionem Dei convertamini retrorsum ad impotentia, & egena elementa.

Cognoscatis] Cognitio hæc est per verbum.

Imò potiùs] Correctio, qua cognitionis hujus excellentiam significat, ex Deo autore & doctore: Erant enim θεοδίδακτοι, docti nimirum per spiritum Christi: vide 1. Cor. 8.3. Si quis diligit Deum, inquit, hic edoctus fuit à Deo: & 13.12. Tum verò cognoscam prout edoctus fuero.

Quomodo cōvertimini] Conclusio reprehensionis, qua significatur ἀποστασία & defectio eorum: nam hæc retrogressio est defectio: vide cap. 3.3.

Impotentia & egena] Elementa impotentia & egena opponit Deo; defectio enim est à Deo ad ipsa. Porrò elementa, hoc est, ritus legales, impotentia & egena dicuntur, nō quidem quòd ante Christi adventum nullū planè usum, aut etiā vim habuerint (umbræ enim erant Christi venturi, & umbræ tū quidē efficaces, propter corpus ipsum quod venturū erat) verùm egena dicuntur & impotentia, quia post Christi adventum nullius jam corporis umbrę sunt, ideoq; nullā efficaciā habēt, nihilq; iis subest.

Ab initio] Hoc est, quasi verò jam initiandi sitis, cū jam spiritu inceperitis, ut dictū est suprà cap. 3.3. hoc est, initiū sumpseritis nō ab his elemētis, verùm ab ipso spiritu.

Dies observatis &] Egena illa elementa illustrat inductione quadā rituum legaliū quorundā, præsertim eorum qui de tēporibus præscripti erant in lege, cujusmodi erat observatio dierum, mensium, annorū, ritus de cibis (hoc

est,

est, de alio quodam adiaphoron genere) quos Colos. 2. rejiciendos censet; nam etsi tum primis illis temporibus propter infirmos fratres ciborum usus, & dierum observatio libera fuit Rom. 14. tamen simpliciter nō fuit his libertas Christiana, cum umbræ fuerint, & præsente jam corpore oporteat cessare umbras: ideoq; Apostolus cum videret esse aliquos qui urgerent observationem usum istarum rerum tanquam simpliciter necessariarum vehementer sese iis opposuit, ac si Christum inanirēt. Est his quæ dicta sunt ab Apostolo, illud inprimis observatione dignum esse duximus, nempe, melioré fuisse statum Galatarū, dum ex ignorantia Dei idolis inservirēt, quàm cum ex Dei cognitione rebus legalibus sese subjicerent & umbras corpori admiscerent: quò fit ut ego putem tolerabiliorem conditionē Idololatrarum qui Deum nunquam cognoverunt, neq; verbum ipsius, quàm istorum qui scientes & volentes invertunt Euangelium Christi & onerant se mandatis & doctrinis hominum.

Metuo de vobis] Conclusio reprehensionis mitigata: nam non dicit apertè defecisse eos, sed id se dicit metuere; neque dicit metuere se ne deficiant, verùm id subobscurè innuit dum dicit metuere se ne frustrà fatigatus sit apud eos, nam frustratio hæc præsupponit defectionem. Nota quàm grave sit bonis pastoribus perdidisse operam: non hoc dico quòd vnquam sui respectu perdant operā; nam semper triumphant in Christo, & Christi bona fragrātia sunt Deo in iis qui servantur, & in iis qui pereunt 2. Cor. 2. 15. verùm id volo quod perdita sit eorum opera respectu eorum, qui vel non convertuntur ad ipsorum prædicationem, vel conversi deficiunt.

Estote quasi ego] Secunda digressio, in qua hortatur ad mutuum amorem, tanquam constantiæ ac perseverantiæ in veritate fundamentum quoddam: nam non parum facit ad fidem & ædificationem amor erga pastores & doctores: quos enim diligimus eos libenter audimus, amandi igitur sunt doctores, & pastores & in pretio habendi, sed tanquam ministri Christi, & dispensatores mysteriorum Dei 1. Cor. 4. 1. primùm itaq; est exhortationis propositio: Estote quasi ego, q. d. estote alte-

ego

go, ut ne sim egomet carior mihi quàm vobis: inquit enim hac locutione amorem arctissimum.

Nam ego sum] Argumentum primum à pari suo erga ipsos amore. nam par pari referendum: argumentatio est. Ego vos diligo, ergo vos pariter & mutuò me diligite. Locutio hæc, ut illa prior, significat amorem arctissimum; quasi diceret, nō estis vobis ipsi cariores, quàm mihi estis. Nam primus charitatis gradus proximè secundum Deum est, quo quis seipsum diligit; unde dilectionem sui ipsius statuit Deus mensuram dilectionis proximi; dilige, inquit, proximum sicut teipsum, Matth. 22. 39. Ergo cum significare volumus dilectionem proximi non mediocrem, dicimus nos esse tanquam ipsos, hoc est, nos non minùs ipsos diligere, quàm ipsi se diligant.

Fratres rogo] Repetit exhortationem maiori cum vehementia: prius enim monuit, nunc verò rogat & obnixè petit. Ex quo illud discimus, permagni interesse, ut quis diligat doctorem & pastorem suum: non enim si res fuisset parvi momenti tam seriò de ea cum iis egisset: facit itaque non mediocriter ad ædificationem & salutem nostrā dilectio Pastorum, & Doctorum. Cæterùm de mutua illa dilectione pastoris & gregis, vide 2. Cor. 6. 11. & deinceps. Quo loco Apostolus profitetur primùm amorem illum quo ipsos sit prosecutus; deinde mutuum amorem requirit. Vehementem autem illum amorem, quo ipsos sit prosecutus, pluribus exponit. Os, inquit, nostrum apertum est erga vos; cor nostrum dilatatum, non habitatis angustè in nobis.

Nihil mihi feciſtis] Occupatio est, qua removet suspicionem odii erga ipsos. Nam ferè qui nobis injuriam fecerūt eos odio habemus: Quasi dicant Paulo, non immemor es injuriæ in te nostrę, quid igitur nos ad dilectionem tui hortaris cum tu sis alieno à nobis animo? Respondet se injuriam illam sibi factam, quæcunque demùm illa fuerit, nullo loco habere: ut igitur constet amicitia, injuriarum perpetuò oblivisci oportet. Non enim facilè conjungemur cum eis quos suspicamur injuriarum sibi factarum à nobis reos daturos.

Nostis autem] Transitio est ad secundum argumentum exhortationis: In transitione præparat eorum animos ad argumentum ipsum. Argumentum est, per infirmitatem carnis &c. Sic 1. Cor. 2. 3. fui ego cum infirmitate & more ac tremore multo apud vos. Infirmitatis nomine intelligit mala quæcunque, quibus obnoxius fuit ex infirmitate naturæ humanæ, sive ea extra ipsum fuerunt, sive ea ipso ac naturæ ipsius inhæserunt. De externis malis vide 2. Cor. 11. 23. & deinceps: de internis vide 2. Cor. 12. 7. deinceps, quo loco infirmitatis nomine intelligit furculum illum infixum carni, & Angelum Satan qui ipsum colaphizabat. 1 Cor. 2. 3. Infirmitatem videtur opponere eminentiæ sermonis, in qua non est versata ipsius prædicatio.

Et experimentum] Hoc est argumentum secundum a pristino ipsorum erga se officio. q. d. Tum me, licèt multis tentationibus & infirmitatibus obnoxium, plurimi fecistis: Ergo nunc diligite. Quod suprà dixit infirmitatem, hoc nunc experimentum sui in carne vocat. Nam infirmitatum & afflictionum omnium hic usus fuit, ut exploraretur & experimentum ipsius fieret: nomen igitur ab usu sumptum est.

In carne] Caro hic est humana natura & imbecillis hominis cõditio, ut accipitur 2. Cor. 10. 2. 3. Eodé sensu dicitur corpus, mortalis caro, externus homo 2. Cor. 4. 10. 11.

Non prohibito] Argumentum illustratur ex diversis.

Sed me ut] Hoc est argumentum amplificatum comparatione simili ab Angelis, & ab ipso Christo. Non est putandum eum Christi loco habitum fuisse à Galatis: Æstimationem enim eam reprehendit 1. Cor. 2. 4. 5. 21. verum hoc tantùm innuit, reputatum se ut ministrum Christi ac dispensatorem Mysteriorum Dei, atque ideò ministerii sui causa dũtaxat, & qua ratione minister est Christi. Nam etiam ministrum Christi tanquam Christum accipiemus, sed ministerii causa; unde sequitur nos Christum plurisfacere: nam ut vulgò dicitur, propter quod unumquodque est tale illud ipsum est magis tale.

Quæ igitur erat] Per exclamationem commendat, imò admiratur potiùs beatam ipsorum conditionem, quę tum fuit

entur at eum ipsum tanti facerent, & ut Angelum Dei, ut nos ipsum Jesum excipierent: commendat igitur illud ipso factum à beata illa conditione quæ ex ipso sequeba- & beatitas enim nostra sive status noster beatus est ex be- ne factis nostris.

firm *Testimonium enim*] per repetitionem illius eorum erga e ea benevolentiæ & officii, beatitatem illam quam prædica- s vi confirmat: benevolentiam autem illam eorum suo te- .7. monio obsignat: q.d. vos tum si fieri potuisset oculos ve- culu os effossos daturi fuissetis mihi, cujus rei ego ipse testis laph n. Hyperbolica ista loquutione significat, Galatas im- e em se ad modum ipsum dilexisse.

atio *Si fieri potuisset*] Hac hypothesi & conditione innuit, ne- um esse testari amorē erga aliquem hujusmodi corporum mu strorum violatione; neque tamen minorem esse propte- fec dilectionem animi significat, quòd violatione hujus- ater odi aliqua corporis eam non testemur: Nihil enim im- atu inuitur de amore vel amicitia ideò quòd amici causa no- tur tris facere indigna & vetita.

ùm *Itaque inimicus*] Conclusio exhortationis, in qua expo- ulat cum iis, quòd ipsum pro inimico habeant, & odio is h osequantur immeritò, id est, veritatis causa. Concluden- icit m fuit, Ergo vos me ducite amicum, vel me diligite: ve- 1. m loco illius conclusionis expostulat cum iis quòd ip- s. m pro inimico habeant. Nota hoc loco veritatem odium mp rere, præsertim autem veritatem verbi divini & Euange- st h quæ gignit in animis adversariorum & impiorum odi- : 4 m acerbissimum.

. v *Depereunt vos non*] Occupatio, at quos tu pseudoapostо- Ch vocas nos depereunt? Respondet deperire quidem, sed mi on benè, hoc est, non in bonum finem.

ari *Imò excludere*] Ostendit quod dixit pseudoapostolos non ei nè deperire ipsos ex fine ipsis proposito, qui est ut, ex- n uso Paulo tanquam rivali, Galatæ ipsos tantùm depere- d t. Significat igitur pseudoapostolos non sincerè amare, d in amando sese quærere, etiam cum pernicie Galata- , im m; quam necesse fuit sequi ex Paulo si veritatem Dei u is tradiderit, excluso atque contempto: simul enim cum

ipso oportuit excludi doctrinam ipsius, adeoque Christ ipsum. Nota igitur, quid sibi propositum habeant falsi que doctores, nempe, se ac ventrē suum. Vide Philip. 2 Quorum deus, inquit, est venter.

Sed præclarum] Nunc è diverso qui sit ipsius erga G tas amor edocet; ejus duas conditiones facit, prima quòd sit in re bona, hoc est, quòd sit bona de causa: secu est, quòd sit semper, hoc est, ut verba sequentia expon non solùm dum præsens est apud illos, sed etiam dum sens. Primùm amorem hunc suum erga Galatas non t in specie, quàm in genere effert, idque non sine epipho mate aliquo: Sed, inquit, præclarum est vehementer am in re bona semper, q. d. quomodo ego vos amo. In fine sius specialiùs loquitur de amore suo dum dicit, Et non lum dum præsens sum.

19 *Filioli mei, quos iterum parturio, usquequò form Christus in vobis.*

20 *Velim autem nunc adesse apud vos, & mutare voc meam: quoniam hæsito in vobis.*

21 *Dicite mihi qui sub Lege vultis esse, Legem non editis?*

22 *Scriptum est enim, Abrahamū duos filios habuisse: un ex ancilla, & unum ex libera.*

23 *Sed is qui ex ancilla* natus est, *secundum carnem na est: qui verò ex libera, per promissionem.*

24 *Per quæ aliud figuratur. Nam hæ sunt duæ illæ pac nes, una quidem quæ est Agar, ex monte Sinai, generans p lem ad servitutem.*

25 *Istud enim Agar est Sina mons in Arabia: eadem aut serie respondet ei Hierusalem quæ nunc est, servitque cum fi suis.*

26 *Illa verò quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ mater omnium nostrūm.*

27 *Scriptum est enim, Lætare sterilis quæ non paris: eru pe & clama quæ non parturis, quoniam plures sunt liberi sertæ, quàm ejus quæ habet virum.*

28 *Nos igitur, fratres, secundūm Isaac promissionis filii sum*

29

29 *Sed quemadmodum tunc is qui secundum carnem genitus erat, persequebatur eum qui natus erat secundum Spiritum: ita & nunc.*

30 *Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam & filium ejus: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.*

31 *Nempe, fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ.*

Filioli mei] Tertia pars capitis, in qua ostendit tertio loco non esse eos sub lege, sed sub promissione. Argumentum autem est à servili eorum conditione qui sunt sub lege, & à libertate eorum qui sunt sub promissione. Argumentatio est: Qui sunt sub lege, servi sunt; qui verò sunt sub promissione, liberi: Ergo non sumus sub lege sed sub promissione: Atque hæc summa est eorum quæ dicuntur usque finem usque capitis. Primùm autem est præfatio continens primùm εὐχὴν sive optationem, qua significat velle se esse apud eos ut coràm loquatur: Deinde loco quodam contentionis, quo excitat eos qui volunt esse sub lege ad legem audiendam. In εὐχῇ sive optatione est blanda ipsorum appellatio, qualis solet esse patrum dum filios suos allocuntur; filioli mei inquit: tum causam addit cur filiolos vocet, ab actu parturiendi, vel potiùs denuò parturiendi.

Quos, inquit, iterum parturio] Quibus verbis innuit summam molestiam & dolores quasi partus, & eos quidem natos in Galatis Christo lucrifaciendis.

Usquequo formetur] Circumscribit actum illum denuò parturiendi ipsos, suo tempore: Est autem, quoad Christus formetur in ipsis, hoc est, quoad ipsi fiãt perfectus quasi aetatus fœtus in Christo. Nam hæc idem sunt, Christum formari in nobis, & nos formari in Christo; Christum adolescere in nobis, & nos adolescere in ipso; Christum vivere in nobis, & nos vivere in illo. Oriuntur autem hæ phrases à summa illa Christi & nostri κοινωνίᾳ, ex hac circumscripta actus parturiendi, illud videmus: Non tum demum parturitionem esse, cum mulier enititur fœtum jam maturum perfectumque, verùm parturitionem esse toto illo tempore quo formatur fœtus in utero: nam toto illo tempore dolor aliquis est & desiderium aliquod enitendi fœtum.

Velim autem] Hæc est εὐχή sive optatio; duo autem quæ optat, primum est ut præsens sit apud ipsos: alterum est ut mutet vocem suam, hoc est, ut aliis quasi verbis, & alio vocis sono utatur apud eos quàm antea usus est. Nova verba quibus usus est antea, spreta sunt ab iis ac contemta. Nota igitur optandum esse ut omnibus modis mutemur & quasi transformemur, ad hoc ut homines lucrifaciamus.

Quoniam hæsito in vobis] Hæc ratio est mutationis vocis, quòd de ipsis hæsitet, ac dubitet de ipsorum ergà se animo: dubitat enim ne, nisi mutatum quodammodò & alium factū videat, satis libenter vocem ipsius auditurus.

Dicite mihi] Secunda pars præfationis, locus attentionis per correctionem quandam, ut videtur, subjectus, q.d. rùm, cum coram loqui non possim, absens hoc à vobis peto, ut dicatis mihi vos qui vultis esse sub lege, an velitis legem audire. Significat absurdum esse quòd nolint audire legem, cum velint esse sub lege: q.d. vos non rectè facitis si non audiatis eam legem quam tanti facitis, & cui vos arctè adhæretis.

Scriptum est] Nunc aggreditur argumentationem, cujus antecedens argumentationis declarat. Declarat autem tota historia quadam filiorum Abrahami ex Geneſi, quæ ipsa legis est repetita & in medium adducta. Primum autem est ipsa historia duobus versibus: deinde est allegorica ipsius interpretatio à versu 24. ad versum 28. In historia primùm narratur ac proponitur, Abrahamum habuisse duos filios: deinde describuntur filii duo ex matribus suis, inter se conditione pugnantibus: una enim erat ancilla ac serva, altera libera. Deinde describuntur duo filii ex nascendi modo planè à se invicem discrepantibus: unus enim natus est secundum carnem, alter verò per promissionem.

Duo Abrahami filii	Ismael,	Nati ex Agar ancilla	Secundum Carnem
	Isaac,	Nati ex Sara libera	Secundum Promissionem

Secundum carnem] Hic modus est quo natus est Ismael.

x ancilla Agar, nempe, secundum naturæ vim: Caro enim hoc loco est natura vel naturæ vis, quæ est in carne, h. e. in homine ψυχικῷ & animali.

Per promissionem] modus est quo natus est Isaac ex Sara; superiori planè contrarius, nempe, vis gratuitæ promissionis factæ Abrahamo; vel quod idem est, vis gratiæ divinæ, ex qua fuit illa promissio: gratia autem & natura pugnant inter se quàm maximè. Oportuit autem Abrahamum fide amplecti gratuitam promissionem, ad hoc ut ipsi efficax esset ad generationem Isaaci. De hac fide qua amplexus est promissionem, vide Rom. 4. à versu 18. ad 22. Quo loco videbis generationem hanc adscribi fidei Abrahæ, quam hic attribuit promissioni; verùm non pugnant ista, sive dicas Isaacum natum per promissionem, sive dicas natum per fidem: Nam in vocabulo fidei intelligenda est promissio quam fide apprehendit; & in vocabulo promissionis intelligenda est fides quæ promissionem apprehendit. Quare, ut verbo dicam, natus est Isaacus per promissionem fide Abrahami apprehensam; vel, quod idem est, per fidem Abrahami quæ apprehendit promissionem. Sciendum tamen est principalem vim fuisse promissionis & gratiæ, qua natus est Isaac: fidem autem Abrahami causam fuisse non principalem aliquam, verùm causam sine qua non, & subservientem ac instrumentariam.

Per quæ] Hactenus fuit historia filiorum Abrahami ex lege adducta; sequitur nunc allegorica ipsius interpretatio. Primùm autē est præfatio ad interpretationem, qua innuit interpretationis genus, non quidem propriè sed impropriè ac allegoricè. Nam hujus historiæ interpretatio est duplex, una per propriam verborum significationem, qua nimirum nomen Ismaelis propriè accipitur, item nomen Isaaci, item nomē Hagaris, item nomen Saræ, &c. Altera qua hæc nomina impropriè accipiuntur & transferuntur tropicè ad res alias, hoc modo Ismael significat servos quoscunque qui sub lege sunt; Isaac: liberos sub Euangelio; Agar vetetem & Legalem pactionem; Sara novam & gratuitam pactionem; præfatur itaque Apostolus secuturum se interpretationem verborum impropriam & allegoricam; q. d.

quæ sunt si allegorizentur, ut sic dicam, hoc est, si aliena & non suo ac proprio sensu interpretentur: nam ἀλληγορεῖσθαι. est prædicare aliud quàm verba ipsa propriè significant.

Nam hæ sunt] Interpretationem allegoricam exorditur à duabus matribus, Agare & Sarâ: duas autem matres interpretatur duas pactiones sive testamenta duo. Locutio enim ista modificata est, & metonymice res significata signo tribuitur, ut in formula illâ cœnæ dominicæ, hoc est corpus meum. Est autem metonymia subjecti, in qua vocabulum subjecti attribuitur adjuncto suo.

Una quidem] Duarum pactionum descriptiones sequuntur, ac primùm quidè est descriptio veteris pactionis: describitur autem ex loco primùm ex quo facta est, nempe, monte Sina. Deinde describitur ex generatione sua, vel potiùs generationis fine, *Generans*, inquit, prolem ad servitutem. Tertio loco describitur ex figura sua, quæ fuit agar ancilla (ordinem servo contextus Græci) sensus enim est, ac si dicat, atque hæc quidem pactio significata est per Agarem ancillam.

Sina enim mons] Rationem obiter reddit cur vetus pactio, quæ nimirum ex monte Sina data est, figurata sit per Agarem ancillam: Est autem ratio ex descriptione Sinæ, quòd sit mons in Arabia, hoc est, in meridiano tractu ex quo fuit Agar: quasi dicat, cum Sina sit mons in Arabia & meridiano tractu, unde fuit Agar, profectò non immeritò vetus pactio, quæ fuit ex mõte Sina, per Agarem figuratur. Quare ideò Agar figura fuit veteris pactionis, vel vetus pactio per Agarem figurata est, quia Sina mons unde fuit vetus pactio, ibi fuit, unde Agar fuerat.

Pari autem] Obiter in eadem serie cum Sina collocat præsentem ac terrestrem Hierusalem. q.d. eodem planè loco habeo Hierusalem præsentem cum Sina monte, ex quo fuit prior illa pactio, cum & ea quoque sonet lex & pactio vetus, sive legalis.

Servitque] Hæc ratio est cur eodem loco sit terrestris Hierusalem cum Sina: est autem à conditione Hierusalem, & filiorum ipsius conditio servitutis est. Notandum autem

hîc

ne indifferenter accipi pactiones & loca ex quibus pactiones factæ sunt. Nam & hoc loco Hierusalem terrestris pro veteri pactione capitur, & sequenti versu, cælestis Hierusalem pro nova: Atque ita transitum sibi fecit ad alterius pactionis descriptionem.

Sublimis verò] Hactenus de priori & legali pactione; sequitur nũc posterior & Euangelica pactio, ejusque descriptio quædam, allusione quadam ad præsentem & terrestrem Hierusalem, de qua proximè facta est mentio: vocat eam sublimem ac cœlestem Hierusalem, nimirum à loco unde facta est pactio Euangelica. Nota autem hîc phraseos mutationem: antithesis enim & oppositionis ratio exigebat, ut diceretur, altera verò pactio, cùm dictum sit vers. 24. una quidem: verùm occasione proximæ digressionis in explicationem terrestris Hierusalem, quam comparavit in partibus cum monte Sina, novam & gratuitam pactionem nomine sublimis Hierusalem appellavit, & loquendi genus mutavit.

Libera est] Descriptio est cœlestis Hierusalem, primùm à conditione libertatis: deinde à filiis suis, quæ est, inquit, mater omnium nostrûm. Posterioré descriptionis partem & multitudinem filiorum confirmat testimonio Isaiæ, cap. 54. in quo prædicit Propheta, complures fore liberos Ecclesiæ Christianæ & Euangelicæ: hanc comparat cum Ecclesia (ut sic dicam) Legali, hoc est, cum Synagoga Judęorum. Atque hactenus interpretatio fuit allegorica historiæ illius ex Lege repetita, in qua videmus duarum duntaxat matrum interpretationem expressam: nam primùm duas matres interpretatus est duas pactiones: inde duas illas pactiones descripsit & ordine explicavit. Habemus tamen in descriptionibus duarum pactionum interpretationẽ duorum filiorum, Ismaelis, & Isaaci etsi non expressam. Nam Ismael figura fuit omnium quos vetus pactio generat ad servitutem, hoc est, omnium servorum Legis, & peccati: Isaac verò typus fuit omnium filiorum Dei, & liberorum sub Euangelio seu in libertate viventium sub Euangelio. Habes quoq; in iisdem illis descriptionibus (etsi obscurã) interpretationem allegoricam duorum modorum illorum

rum quibus duo filii nati sunt. Nam pactio Legalis gen
rat filios naturaliter, & natura homines se subjiciunt Lega
pactioni: Pactio verò gratuita generat filios supernatural
ter, & vi gratiæ, non naturæ. His itaque expositis, relinqui
tur intelligendum illud antecedens argumentationis illiu
quam diximus haberi toto hoc loco, nempe, qui sub Leg
sunt, servi sunt; qui verò sub promissione, liberi: Nam &
historia recitata ex Geneſi, & historiæ interpretatio, ut fa
cilè apparet, huc pertinent, ut videamus eos qui sub veter
pactione & Lege sunt, servos esse; eos verò qui sub nova pa
ctione & Euangelio sunt, liberos esse; ideoq; sic concludi
ex præcedentibus, *Nos igitur fratres secundum Isaac promis
sionis filii sumus*, quasi dicat, non sumus igitur sub Lege, se
sub promissione.

Secundum Isaac] hoc est, exemplo Isaaci qui typus fuit
omnium filiorum promissionis, & quasi primogenitus
cœlestis Hierusalem. [*Secundum*] enim hoc loco est simili
ter. q. d. Quemadmodum Isaac promissionis filius fuit &
is quidem primogenitus. [*Promissionis filii*] hoc est geniti
vi pactionis gratuitæ, quemadmodum & Isaac genitus est.


Sed quemadmodum] Occupatio, at filii promissionis ob
noxii sunt persecutionibus variis: Respondet id quidem ita
esse, & responsionē suam similitudine persecutionis quam
passus est Isaac aliquando ab Ismaële illustrat.

Sed quid dicit] prior pars responsionis fuit per concessio
nem: Hæc verò est per correctionem, in qua similitudine
ejectionis Agaris & Ismaëlis è domo Abrahami, signifi
cat tandem servos istos in Ecclesia, qui filios persequuntur,
tandem ex Ecclesia & domo Dei ejiciendos.


Nempe fratres] Redit ad conclusionem, concluditq; non
affirmationem modò, ut suprà, sed & negationem. Non su
mus, inquit, filii ancillæ, sed liberæ.

CAPITIS

CAPITIS QUARTI TABULÆ.



Vel, ut tabula interpretationis respondeat historiæ & tabulæ historiæ.



Ex hac tabula colligitur hæc propositio, filii veteris pactionis sive qui sub Lege sunt, servi sunt: contrà verò, filii novæ pactionis sive qui sub Euangelio sunt, liberi sunt: ad hanc propositionem assumitur, At nos non sumus servi, sed liberi. Assumptio hæc, ut quæ pro confesso accipiatur, omissa est; conclusio verò expressa est; Ergo non sumus filii veteris pactionis sive ancillæ, ut ipse loquitur, sed novæ pactionis & liberæ: sive, quod idem est, non sumus sub Lege, sed sub promissione. Estq; hoc argumentum tertium quo ostendit Galatas non esse sub Lege, sed sub promissione. Argumentum est à conditione tam eorum qui sub Lege sunt, quàm qui sub promissione, nimirum horum libertate, illorum servitute.

ANALYSIS CAP. V.

Argumentum.

Hujus capitis partes sunt tres, primùm hortatur ad perseverantiam in libertate ad vers. 7. Deinde jam quarta

vice

vice reprehendit Galatarum apostasiam ad vers. 13. Hinc sequitur doctrina parænetica de Christianis moribus ad finem capitis.

IN libertate igitur qua Christus nos liberavit, perstate, & ne è contrario implicamini servituti jugo.

2 Ecce, ego Paulus dico vobis, si circumcidamini, Christum nihil vobis profuturum.

3 Testor enim rursum omni homini qui circumciditur, eum esse debitorem totius Legis servandæ.

4 Facti estis inanes, separati à Christo, quicunq; per legem justificamini, & à gratia excidistis.

5 Nos enim Spiritu ex fide spem justitiæ expectamus.

6 Nam in Christo Jesu neque circumcisio quicquam valet, neque præputium: sed fides per charitatem agens.

IN libertate] Superiori capite conclusit Galatas sub promissione esse, non autem sub lege: nunc autem hortatur ut perseverent sub promissione; nec, è contrario, implicent se legis jugo. Doctrinam igitur ipsam satis prolixam de legis abrogatione, inde à versu. 23. capitis tertij, sequitur exhortatio ista ad perseverātiam [*Libertate*] hoc est, perstate sub promissione, sub qua liberi estis: nam hæc verba exponenda sunt per relationem ad ultimū versum præcedentis capitis, in quo dictum est, Non sumus ancillæ filii, sed liberæ, hoc est, nō sumus sub lege, sed sub promissione: Hinc est exhortatio. Ergo manete filij liberæ, & ne vos ex filijs liberæ efficiatis ipsi filios ancillæ: verùm Apostolus pro filijs liberæ dixit liberos, & pro filijs ancillæ, dixit servos; & hortatus est ad perseverantiā in libertate, dehortatus autē est à defectione in servitutem legis. Dixit jugum servitutis, quia servitus legalis cervicibus hominum imponitur tanquam jugum grave, quod ferre ipsi non possunt: vide Act. 15. 10. Vbi legem vocat jugum cervici impositum, quod neq; patres, neq; ipsi portare potuerunt, vide Matthæum. 23. 4.

Ecce ego Paulus] ratio dehortationis proximæ ab incommodo, quod sequitur legis jugum. Tractatur per occu-

occupationem: dici enim ab ijs potuit, nos circumcisionẽ duntaxat amplectimur, & cum Euangelio Christi conjungimus: huic respondet, si circumcidamini Christus nihil vobis prodest. Responsionem hanc effert cum obtestatione quadam, quasi diceret, hoc certò futurum experiemini quod ego dico: Ergo incommodum est, quòd Christus nihil ijs profuturus sit. Responsionem hanc deinde resoluit in suam causam, quæ syllogismi assumptio est. *Testor enim*: quasi diceret. Ego Paulus rursum hoc dico: Quemadmodum dixi circumciso Christum nihil profuturum, ita rursum dico circumcisum astrictum esse observationi totius legis. Ergo quemadmodum conclusio cum testificatione quadam Pauli proposita est, ita & assumptio. His testificationibus innuitur veritas & certitudo harum sententiarum, quas hic suo testimonio confirmatas effert, & sic asseverat veras esse.

Eum esse debitorem] Ratio cur circumcisus astringatur ad totius legis observationem est, quia circumcisio initiatio quædam fuit, ut sic loquar, ad legem vniversam; & qui circumcidebatur, dabat nomen suum quasi Mosi legislatori, seseq; obligavit ad totius legis Mosaicæ observationem: Quemadmodum nunc qui baptizantur, dant nomen suum Christo seseq; obligant ad omnes partes Christianismi: fuit enim circumcisio initiationis sacramentum Judæis olim, ut nunc Christianis est Baptismus.

Facti estis] hæc ratio est cur ex hac assumptione sequatur illa conclusio, sive syllogismi propositio. Est autem syllogismi propositio; Quicunque per Legem justificantur, sive, quod idem est, debitores sunt totius Legis servandæ, illi facti sunt inanes Christi, & à gratia exciderunt. Assumptio est, Atqui qui circũciditur justificatur per Legem, sive debitor est totius Legis servandæ, unde sequitur conclusio; Ergo ei qui circumciditur inanis factus est Christus, sive Christus ei nihil prodest.

Quicunq; per] Sensus est, qui quæritis per legem justificari, vel, vt loquitur Rom. 9, 31. Qui sectamini legem justitiæ; nam reipsa nulla caro justificatur per legem, Rom. 3. 20. Porrò pro eodem sumit ista, justificari per le-

gem, & debitorem esse totius Legis servandæ: nam qui debitorem se facit Legis observandæ, is quærit justitiam per Legem. Hoc igitur est illius consequens: & sæpe antecedens & consequens indifferenter sumuntur.

Et à gratia] hæc conjuncta sunt, inanes fieri Christi, & à gratia excidere; ut & Christus & Dei gratia simul sunt, seque mutuò ponunt & tollunt: nam Dei gratia & misericordia est in solo Christo; & si Christus sit, Dei gratia est, & misericordia. Nota hoc loco Christum & Legem, gratiam & opera unà consistere non posse, quorum unum si ponatur, alterum tollatur necesse est: vide hujusmodi oppositionem Rom. 4. 4. & 11. 6. Gal. 2. 21. Item 3. 12. Neque est quòd isti objiciant opera *auxiliaria* sive concausas esse in nobis justificandis: neq; quo minùs *auxilia* sint in nobis justificandis impedire hanc, aut hujusmodi aliquam Pauli propositionem, cum Paulus ex solis operibus Legis affirmatis neget Christum, non autem ex operibus, tanquam concausa cum Christo, Christum neget: Hoc enim planè falsum esse quod asserunt, vel ex eo videmus, quòd Paulo negotiũ fuit cum iis qui Legem & Legis opera cum Christo tanquam concausas conjunxerunt in re justificationis. Adversus hos autem sic argumentatur: Qui justificatur per Legem, inanis factus est Christi.

Nos enim] Ratio propositionis syllogismi, à modo justificandi quo qui Christi participes fiunt, justificantur, superiori illi per Legem justificandi modo planè contrario. Est autem quòd qui Christi participes fiunt per fidem justificentur: Nam quod dicit, Nos, intelligit eos qui Christi fiunt participes, qui oppositi sunt iis qui Christi inanes facti sunt.

Spiritu] Causam fidei notat, ut & expectationis sive spei, in fine versus; non naturam, aut naturæ instinctum, sed Spiritum Dei sanctum.

Ex fide] dixisset quidem uno verbo fide justificamur, sed ad majorem fidei qua justificamur commendationem, conjunxit cum fide spem vitæ æternæ, quæ fidem justificantem sequitur necessariò. Nam sensus est, quasi diceret:

ex

ex fide, quæ nimirum justificamur expectamus spem (hoc est, vitam æternam speratam) Justitiæ, hoc est, quæ vita æterna justificationem nostram sequitur. Nota igitur hoc loco ex fide justificante spem sive expectationem sequi: unde dicit, ex fide expectamus. Præterea ex justitia vitam sequi: unde spes justitiæ vocatur, hoc est, vita æterna, quæ justitiam sequitur.

Nam in Christo] Rationem reddit cur Christiani ex fide justificentur, hoc est, cur hoc modo justificentur, ex abnegatione modorum justificationis contrariorum: duo sunt autem justificationis modi quos abnegat, & removet ab iis qui in Christo sunt, nempe, præputium & circumcisio, quasi diceret; Christianos, neque præputium, neque circumcisio, justificat: sive, quod idem est, neque præputium, neque circumcisio valent quicquam iis qui in Christo sunt ad justificationem: Ergo fides est qua Christiani justificantur.

Per charitatem] Hac quasi differentia distinguitur vera & non simulata fides, ab hypocritica & simulata: Et Paulus eam adjecit, ut ostendat se loqui de vera illa & non simulata fide: Non igitur ex hac differentia fidei adjecta, dicendum est charitatem & opera charitatis *aequalia* esse cum fide in nobis justificandis: manifesta enim captio est quæ ita concluditur: fides per charitatem operans nos justificat, ergo opera charitatis nos justificant. Captio est à conjunctis ad divisa.

7 *Currebatis pulchrè, quis vos inhibuit, vt non obsequremini veritati?*

8 *Hæc persuasio non est ex eo qui vocat vos.*

9 *Paulum fermenti totam massam fermentat.*

10 *Ego confido de vobis in Domino, vos nihil aliud esse sensuros: sed qui turbat vos, auferet condemnationem, quisquis fuerit.*

11 *Ego autem, fratres, si circumcisionem etiam prædico, quid adhuc persequutionem patior? nempe abolitum est offendiculum crucis.*

12 *Utinam etiam abscindantur qui vos inquietant.*

Curre-

Currebatis] Secunda pars capitis, in qua jam quarta ce Galatas reprehendit: nam incertum est ex hac Epistol magisne ex instituto doceat, an reprehendat: reprehendit tem ob apostasiam & defectionem. Argumentum hoc l eo est, à pulchro illo progressu, quem fecerunt in verit te: Currebatis, inquit, pulchrè. Metaphora est ab iis qui stadio currunt, cujusmodi frequens apud Paulum 1 Cor 24. Item. 2. Tim. 4. 7.

Quis vos] consequens argumentationis tractatur dial gismo, in interrogatione & responsione posito. Sensus e ergo male defecistis à veritate.

Hæc persuasio] Occupat eorum responsionem, in q Deo qui ipsos vocavit, persuasionem hanc de lege conju genda cum Euangelio fortasse tribueret. Respondet, eos ita doctos esse à Deo, qui est veritatis duntaxat doctor.

Paulum fermenti] altera occupatio, at agitur de re pa vi momenti; de circumcisione & ritibus, nescio quibu Respondet, vniversam putam & sinceram doctrinam co rumpi ac perverti admistione alicujus partis, vel minim doctrinæ impuræ: hoc autem significat simulitudine qu dam & parabola à fermento: qua etiam ipse Christus us est. Alibi autem, vt. 2. Tim. 2. 16. apertè loquitur, dicit eos qui cœperūt semel à scopo aberrare ad majorem pre cedere impietatem, & sermonem eorum depascere gangrænam.

Ego confido] Correctio & mitigatio superioris reprehen sionis, in qua primum significat se de Galatis meliora spe rare: deinde judicium denunciat in pseudoapostolos. D Galatis ergo dicit, confidere se eos nihil aliud esse sensuro hoc est, aliud à veritate ea quam acceperunt. Atqui jam aliud senserunt, cùm passim in hac Epistola defectionem apostasiam iis objiciat? Respondeo, Apostolum in futu rum respicere, innuereq; eos nihil aliud finaliter, ut fio di cam, sensuros: & si quid aliter nunc sentiant, hoc Deum i postea retecturum, ut loquitur Paulus Phil. 3. 15.

Sed qui turbat] E diverso denunciat judicium in pseudo apostolos: turbabant autem eos, ideò quod volebant in vertere Euangelium Christi, ut ipse turbandi verbum ex

posui

posuit, suprà 1.7. quo loco sequitur talis qualis hîc est judicii denunciatio.

Quisquis fuerit] Significat turbatores istos citra exceptionem omnem cõdemnationem ablaturos. Quemadmodum cap. 1.8. ne se quidem, ne angelum eriam è cœlo excepit, & exemit ab hoc judicio & anathemate.

Ego autẽ fratres] Dixit proximè turbatorem quẽcunq; citra exceptionẽ judicium ablaturum; nunc se purgat ab hoc facto & turbatione, ne videatur ad eum judiciũ hoc pertinere: Se autẽ adeò purũ esse significat ab hoc facto & turbatione ipsorum, ut è contrà quòd non turbet ipsos, & circumcisionem prędicet (hinc enim illa turbatio) significet se persecutionem pati. Sensus igitur est, Si ego circumcisionem prædico, id est, si vos turbo, quid adhuc persecutionẽ patior? hoc est, non persecutionẽ paterer. Ratio subjecta est, quia circũcisio, vel doctrina circumcisionis, conjuncta cum doctrina Euangelii & crucis Christi, tollit omnẽ offensionẽ illam, qua Judæi offenduntur cruce Christi. Argumentatio itaq; hoc loco, qua demonstrat se purum esse ab hoc facto, seque non eos turbare, hæc est: Ego persecutionem patior, quia non ut alii, vos turbo, & unà cum cruce Christi circumcisionem prædico: Ergo, ego non is sum qui vos turbo. Probatur sequela: nam si, inquit, vos turbarem, & circumcisionem prædicarem, profectò non offenderentur in me Judæi: Atqui nulla existente offensione, nulla esset persecutio: Ergo hæc ipsa persecutio quam patior, arguit me non esse ex iis qui vos turbant. Vel syllogismus est connexus, cujus propositio hîc tantùm habetur: Si vos turbarem, non paterer persecutionem: atqui patior: ergo non turbo. Probatur connexio propositionis, quia si vos turbarem doctrinâ circumcisionis nulla esset Judæorum in me offensio, & proinde nulla persecutio. Nota igitur, sinceritatem doctrinæ parere offensionem; offensionem rursus gignere persecutionem. Ergo necesse est quicunque sinceram doctrinam volunt tradere offendiculo sint & persecutionem patiantur: Quod cum vident pseudodoctores veritati admiscent mendacia ac sinceritatem

doctrinę Christi pervertunt, tantùm ne ob crucem Christi persecutionem patiantur, ut illius temporis pseudoapostoli, ut loquitur Paulus posteà 6.12.

Vtinam etiã] Redit ad denunciationẽ; postquã se ipsum purgavit, neq; denunciat modò aut pronunciat judicium in falsos Apostolos, sed zelo quodam Christi ac veritatis ipsius, optat & imprecatur turbatoribus judicium.

Abscindantur] Hoc est quod dixit capite primo, anathema sint, & Rom. 9.3. Anathema separatum à Christo, nam abscisio hæc est separatio à Christo, & ab ea quæ in ipso est gratia.

Inquietant] Suprà dixit turbant eodem sensu. Inquietatio autem hæc nihil est aliud, quam dimotio quædam ipsorum à sana mente. Ideò Apostolus 2. Thess. 2.2. pro eodem hæc sumpsit, à mente dimoveri & turbari: Ne citò, inquit, à mente dimoveamini, neque turbemini. De zelo unde proficiscuntur hujusmodi denunciationes, & imprecationes diximus in caput primum.

13 *Vos enim ad libertatem vocati estis, fratres: tantùm ne libertatem* arripite ut datam *carni occasionem, sed ex charitate servite alii aliis.*

14 *Nam tota Lex uno verbo completur, isto* videlicet, *Diliges proximum tuum ut teipsum.*

15 *Quòd si alii alios mordetis & devoratis, videte ne vicissim alii ab aliis consumamini.*

16 Hoc *autem dico, spiritu incedite, & quod concupiscit caro ne perficite.*

17 *Nam caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem: hæc autem inter se opposita sunt, ut non quæcunque volueritis, eadem faciatis.*

18 *Quòd si spiritu ducimini, non estis sub lege.*

19 *Porro manifesta sunt opera carnis: quæ sunt, adulterium, scortatio, impuritas, protervia,*

20 *Idololatria, veneficium: inimicitiæ, lis, æmulationes, iræ, contentiones, dissidia, hæreses,*

21 *Invidiæ, cædes, ebrietates, comessationes, & his similia: quæ prædico vobis, sicut prædixit: eos* videlicet *qui tali*

talia agunt, regni Dei non fore hæredes.

22 *At fructus Spiritus est charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, temperantia.*

23 *Adversus eos qui sunt ejusmodi, non est lex.*

24 *Qui enim* sunt *Christi, carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiscentiis.*

25 *Si vivimus spiritu, spiritu etiam incedamus.*

26 *Ne simus inanis gloriæ cupidi, alii alios provocantes, alii aliis invidentes.*

Vos enim] Ratio est tam diræ imprecationis, qua transitum sibi facit ad aliam Epistolæ partem, quæ est de Christianis moribus. Est autem à præsenti eorum conditione, & beata illa libertate ad quam sunt vocati in Christo Jesu: nam hæc conditio libertatis, quò beatior est, eò gravius judicium incidit in eos, qui conditionem tam beatam perturbant.

Tantum ne libertatem] Hic incipit doctrina parænetica, & quæ est de moribus: Estque hæc prima parænesis sive admonitio, ne libertatem Christianam & spiritualem commutent in carnalem. Carnis nomine hic intellige naturæ corruptelam; hæc omnes occasiones peccandi videt arripit: audito igitur semel libertatis nomine, eam interpretatur licentiam ad peccandum. Quamobrem cavendum nobis perpetuò est, ne etiam ex rebus bonis, ejusmodi est Christiana ista libertas, reliquiæ istæ corruptionis quæ adhuc aliquot in nobis residen, occasionem peccandi arripiant. Neque enim rebus tantùm in malis utitur caro ad malum, sed etiam rebus in se bonis ad peccandum abutitur. Avidè enim captat omnes peccandi occasiones. Rom. 6. 1. Videmus eam ex gratia dei superabundante, & gratuita justificatione, arripere peccandi occasionem. Postquàm enim Paulus de gratia satis multa dixisset; tum occipit caro, Quid igitur, in peccato permanebimus? Simile quid etiam vidimus supra in hac Epistola 2. 17.

Sed ex charitate] Hactenus prohibuit abusum libertatis Christianæ; nunc è diverso verum ejus usum præci-

pit, qui est in officiis charitatis: estque hæc secunda pa
ræneſis à ſuperiori diverſa. Officium charitatis quod
cunque ſerviendi verbo complectitur: Omne enim offi
cium charitatis conſiſtit in ſerviendo; & qui diligit ſervi
&, ut loquitur poſteà. 6.2. portat onus quaſi ejus quem
diligit. Charitas enim perpetuò eſt cum humilitate, &
modeſtia, qua fit ut quiſque alium ſe præſtantiorem exi
ſtimet Philip.2.3. & quiſquis ſincerè amat; is profectò
humili ſit animo ac modeſto neceſſe eſt, quo ſeſe liben
ter omnibus aliis ſubmittat. Unde charitatis proprieta
tem hanc inter reliquas aſsignavit Apoſtolus 1. Cor. 13.
4. Quòd non inflatur, hoc eſt, quòd humilis ſit. Eſt ita
humilitas virtus cum charitate, tanquam omnium chri
ſtianarum virtutum radice, conjuncta, & ejus quædam
proprietas.

Nam tota lex] Aliquot argumentis ad charitatem mu
tuam hortatur: primum eſt ex charitatis quadam defini
tione, hac nimirum, quòd Charitas ſit totius legis com
plementum. Eodem argumento ad charitatem exhor
tatus eſt Rom.13.8. Nam qui diligit alterum, inquit, le
gem implevit: & ibidem ℣. 10. concluſit; Expletio legis
eſt charitas: legem intellige hîc, vel ſecundam legis ta
bulam (eſt enim hæc ſententia quæ ſequitur ſecundæ
tabulæ ſumma) vel, ſi lubet, primam etiam intellige, to
tam enim dicit. Nam etiam dilectio Dei ad dilectionem
proximi reducitur aliquo modo, & ſub ea intelligitur: di
lectio enim proximi oritur neceſſariò ex dilectione Dei,
& dilectio Dei manifeſtatur dilectione proximi. Qui
qui præcipit dilectionem proximi, is eadem opera præ
cipit dilectionem Dei; & hoc tantùm requirit ut argu
mus dilectionem Dei, ex dilectione proximi, tanquam
effecto manifeſtiori.

Quod ſi alii alios] Secundum argumentum mutuæ
lectionis, à contrarii mutui odii & injuriæ conſequen
quaſi dicat, Si vos non mutuò dilexeritis, ſed è con
mutuò vos oderitis, profectò futurum eſt juſto Dei ju
cio, ut tandem alii alios planè conſumatis. Conſume
enim verbum hoc loco plus videtur ſignificare quo
mordet

mordendi & devorandi: estque consumptio perditionis, cum in superioribus verbis intelligatur duntaxat perditionis principium: nam mutuum odium, & mutuæ injuriæ tandem cedunt in mutuam perniciem. Cavenda igitur initia odiorum, & injuriarum: desinunt enim tandem in consumptionem, extremamque perniciem.

Hoc autem dico] Tertia parænesis, qua in summa comprehendit omnem spiritualem conversationem, & quodcunque Christiani officium: hoc dico, inquit, hoc est, ut in summa dicam: correctionis quædam species est. Eodem sensu alibi dicit, Incedere secundum spiritum Rom. 8. 1. Simul dehortatur à conversatione secundum carnem, vel potiùs carnis concupiscentiam, ideò dicit, ne perficite quod concupiscit caro. Concupiscentia hîc, est motus carnis impurus quicunque: hic motus, dicit Jacobus 1. 15. parit peccatum, nempe actuale & externum, quod, nimirum exequitur, per externa corporis organa & membra.

Nam caro] Ratio hæc est à contrariis concupiscentiis spiritus & carnis. Neque enim spiritus & caro res duntaxat alias atque alias sive diversas concupiscunt, verùm planè contrarias: neque enim lucta existit ex diversis concupiscentiis, verùm ex contrariis & inter se pugnantibus. Argumentatio itaque est, Contrariæ sunt concupiscentiæ spiritus, & carnis: Ergo ne perficite quod concupiscit caro. Ratio enim hæc pertinet ad dissuasionem sive dehortationem ab executione concupiscentiæ carnis de qua proximè, ut ipsa conclusio in fine versus satis indicat.

Hæc autem inter se] Conclusio cum repetita assumptionis sententia: quasi dicat, Ea, quam dixi, oppositio & pugna concupiscentiæ spiritus & carnis, eò pertinet, ut non obsequamini concupiscentiæ carnis. Quare argumento hoc à contrariis suadet potissimum ne conversatio ipsorum sit secundum carnem.

Volueritis] Nempe, secundum carnem: Nam voluntas hîc est carnis concupiscentia.

Eadem faciatis] Hoc est, exequamini re ipsa & opere,

quo significat Apostolus, non obediendum esse concupiscentiæ & interno motui carnis, quod etiam peccatum est & mortem promeretur, si fieri non possit ut ipsi motus interni, &, ut vocat Rom.7.5. affectiones peccatorum, cohibeantur. Eo sensu videtur dicere. Eph.4.26 Iraſcimini & ne peccate: quasi dicat, Si contingat aliquando ut caro erumpat in motum iræ perturbatum, ne exequimini quod suadet ira, hoc est, ne ulciscimini, aut re ipsa injuriam facite. Quàm autem difficile sit non facere quod nolumus malum, cõtraq; quam facile sit non facere quod volumus bonum: vide Rom.7.15. & deinceps; quo loco videbis etiam quàm difficile sit facere quod volumus bonum: non enim, inquit, facio bonum quod volo; contraq; quam facile sit facere malum quod nolumus. Quò fit ut tristi experientia discamus in lucta hac spiritus & carnis ferè superiorem esse carnem, & nos abripere ad executionem voluntatis suæ, adeò ut nisi daret Deus resipiscentiam, & confugeremus per fidem ad Christum, id quod ibidem facit Apostolus post opus carnis perfectum, de nobis actum esset.

Quod si spiritu] Nunc vicissim suadet conversationem secundum spiritum: Argumentum est ab eorum conditione qui incedunt secundum spiritum, Non sunt sub lege, hoc est, non sunt sub execratione legis. Nam apud Paulum hæc idem sunt, esse sub lege, esse sub peccato, & esse sub damnatione: vide Rom.7. & 8. capitibus. Quòd autẽ regenitis & justis lex non sit imposita: vide 1.Tim. 1.9. Sciens, inquit, legem non esse positã justo, hoc est spiritu sancto imburo, & ultrò facienti quæ lex mandat hujusmodi, inquam, homini non est imposita lex, ut jugum aliquod, & mandatum urgens ac cogens sub pœna maledictionis: alioqui enim etiam justo & regenito vivendum est secundum legem: justus autem ultrò & sua sponte vivit secundum legem, non coactè.

Porrò manifesta] Vicissim dehortatur ab operibus carnis: argumentum est: Qui opera carnis faciunt, regni Dei non sunt futuri hæredes; ergo ne facite opera carnis: probatur antecedens inductione operum carnis.

Opera

Opera carnis sunt adulterium, scortatio, impuritas, protervia, &c. at qui talia agunt regni Dei non sunt futuri hæredes: Ergo qui faciunt opera carnis regni Dei non sunt futuri hæredes.

Manifesta] Ante inductionem præfatur opera carnis manifesta esse, idque non tantùm ex lege scripta, sed etiam ex lege naturæ.

Quæ sunt] In hac enumeratione quatuor prima vitia impingunt in secundam legis tabulam, & tertiam ejus tabulæ legem.

Idololatria, veneficium] Duo hæc vitia pugnant adversus primam legis tabulam.

Inimicitiæ] Hæc quæ in tertio ordine sunt vitia, excepto uno, quod hæresis est, pugnant adversus secundam legis tabulam, & legem secundam: numerantur autem octo.

Ebrietates, comessationes] In quarto ordine duo hæc vitia pugnant adversus tertiam legem secundæ tabulæ.

Quæ prædico] Hæc assumptio est prosyllogismi: Nam enthymema quod hujus loci præcipuum est, non expressè habetur in textu; ejus antecedens intelligitur, concludendum ex hac prosyllogismi assumptione, hoc nimirum; Qui faciunt opera carnis non sunt futuri regni Dei hæredes. Porrò resipiscentiæ exceptio hîc intelligenda est: excluduntur enim è regno cœlorum non qui his modis peccant simpliciter, sed qui peccant citra resipiscentiam.

At fructus] Vicissim hortatur ad opera spiritus. Qui opera spiritus faciunt, adversus eos non est lex, hoc est, ut dicit 1. Tim. 1. 9. Lex iis non est posita, quia nimirum sese legi sponte subjiciunt: lex autem posita est iis, qui, ut illic dicitur, subjici nesciunt, & refractariis, quia nimirum lex eos cogit in ordinem denunciando maledictionem, juxta illud: Maledictus omnis qui non manserit, &c. Hinc sequitur conclusio exhortationis, Ergo opera spiritus facite. Antecedens probatur: hæc sunt opera spiritus, charitas, gaudium, pax, &c. at adversus ejusmodi non est lex: Ergo qui opera spiritus faciunt adversus eos non est lex.

Charitas] Fons virtutum, ac officiorum aliorum omnium primo loco numeratur charitas: In primo ordine opera ſpiritus, quæ hîc ſex numerantur, opponuntur operibus carnis in tertio ordine; fides opponitur vitiis in ſecundo ordine.

Temperantia] Opponitur vitiis in primo & ultimo ordine.

Qui enim] Ratio aſſumptionis proſyllogiſmi: ſunt enim Chriſti: ergo adverſus eos non eſt lex. Ratio ſequelæ, quia qui Chriſti ſunt carnem crucifixerunt, id eſt, non habent in ſe materiam legis, quæ eſt caro cum concupiſcentiis & affectibus: Affectiones enim carnis per legem exiſtunt Rom. 7. 5.

Si vivimus] Hoc aliud argumentum eſt, quo ſuadet ad ambulandum ſecundum ſpiritum. Eſt autem à regeneratione: nam vivere ſpiritu hoc loco eſt regenerari.

Ne ſimus] Hactenus in genere partim hortatus eſt ad incedendum ſecundum ſpiritum, partim dehortatus eſt à vita & converſatione ſecundum carnem. Nunc ſpecialiter dehortatur à ſpecialibus vitiis ac carnis operibus, ac primùm dehortatur ab ambitione: diſſuadet autem ab ambitione à duobus ipſius effectis, primum eſt in provocando ſe viciſsim; alterum eſt in invidendo ſibi invicem. Ex his effectis primum eſt manifeſta injuria: ſecundum verò occulta invidia.

ANALYSIS CAP. VI.

ARGUMENTUM.

Hoc capite primùm pergit in ſpecialibus admonitionibus, verſu ultimo præcedentis capitis inchoatis, in iiſque immoratur ad verſum 11. Deinde præmiſſa tranſitione eſt concluſio Epiſtolæ ad verſum 18. Tertiò, eſt valedictio verſu ultimo.

1 *FRatres, etiamſi præoccupatus fuerit homo in aliqua offenſa, vos ſpirituales inſtaurate hujuſmodi hominem*

cum

cum spiritu mansuetudinis : considerans temetipsum, ne & tu tenteris.

2 *Alii aliorum onera portate : & ita complete Legem Christi.*

3 *Nam si quis sibi videtur aliquid, quum nihil sit, hunc suus ipsius animus fallit.*

4 *Opus autem suum probet unusquisque : & tunc in semetipso gloriationem habebit, & non in alio.*

5 *Nam unusquisque suum onus portabit.*

6 *Communicet autem qui instituitur in sermone, ei qui se instituit, omnia bona.*

7 *Ne fallimini : Deus non irridetur. quicquid enim seminaverit homo, hoc & metet.*

8 *Nam qui seminat carni suæ, ex carne metet interitum : qui verò seminat spiritui, ex spiritu metet vitam æternam.*

9 *Porro ne benefaciendo segnescamus. tempore enim suo metemus, si non elanguerimus.*

10 *Nempe igitur dum tempus habemus, simus benefici erga omnes, maximè verò erga domesticos fidei.*

Fratres etiamsi] Secunda admonitio specialis, ut fratrem præoccupatum in aliqua offensa instaurent cum mansuetudine. Fratres compellat benigna compellatione, cum hortatur ad fratrem benignè instaurandum.

Præoccupatus] Hoc est, incautus per imprudentiam oppressus fuerit insidiis Satanæ (Qui tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, 1. Pet. 5. 8.) & carnis infirmitate Matth. 26. 41. Unde & παράπτωμα offensa sive delictum hoc loco intelligitur, non quodcunq; peccatum, sed peccatum ex infirmitate admissum, non ex malitia aut obstinato Dei contemptu.

Spirituales] Spirituales eos vocat qui spiritu Dei ducuntur Gal. 5. 18. ejusque efficaci potentia sustentantur. Hos Rom. 15. 1. δυνατοὺς firmos appellavit, & opposuit ἀδυνάτοις, infirmis.

Cum spiritu] Modus instaurationis, cum spiritu mansuetudinis;

suetudinis, hoc est, cum mansuetudine & lenitate. Nota spiritum & omnia ejus dona dari nobis non propter nos tantùm, sed & propter alios, præsertim autem propter fratres infirmos, ut etiam illi per dona quæ dedit nobis Deus instaurentur: & quò insigniora dona quis à Deo consecutus est, eò magis obligatum esse ut infirmos instauret & ad Christum reducat.

Considerans] Ratio modi hujus sumpta ab infirmitate etiam ipsius spiritualis, cui instaurationem alterius præcepit; quasi dicat, Tu quoque infirmus es, & potes tentari à carne & Satana, quemadmodum ille: Ergo, consideratio infirmitatis tuæ debet te excitare ad lapsi fratris instaurationem. Mutat numerum, priùs enim usus est numero plurali; nunc utitur singulari, ut unicuique sigillatim, etiam maximè spirituali commendet hanc infirmitatis suæ considerationem.

Alii aliorum] Tertium speciale præceptum, quo commendat mutuum levamen, & charitatis officium quod est in portandis aliorum oneribus, hoc est, in tolerandis fratrum infirmitatibus, & imbecillitatibus iisque corrigendis. Simile est præceptum Rom. 15. vers. 1.

Et ita completa] Ratio præceptionis à fine sive usu officii hujus charitatis, nempe, completione legis Christi, cui implendæ obstringuntur quicunque Christo nomen dederunt. Lex hæc Christi est præceptum charitatis, quod Christus suum vocat Iohan. 15. 12. Hoc est præceptum meum ut diligatis alii alios; & Iohan. 15. 34. mandatum novum appellat. Mandatum novum do vobis, ut alii alios diligatis. Charitatis autem lex completur ex charitatis officiis, ut docet Iohan. 1. Epist. 3. 18. Filioli mei ne diligamus verbo, neque lingua solùm, sed opere & veritate.

Nam si quis] Per occupationem removet impedimentum quoddam hujus officii charitatis: præcipuum impedimentum est φιλαυτία, & nimia æstimatio sui præ aliis: nam φιλαυτὸς apud se statuit, minimè se aliis esse obligatum,

obligatum, & nullam eorum curam sibi suscipiendam, quum se aliis multò præstantiorem, & excellentioribus donis præditum existimet: hanc hominis de se opinionem conatur Apostolus deprimere, quòd qui ita de se existimet animo fallatur.

Cum nihil sit] Ratio cur fallatur à vera ipsius conditione, quia revera nihil est, & nihil in se habet præ aliis æstimandum: nam revera nihil sunt omnia dona, etiam alioqui præstantissima sine modestia, qua alium quisque se præstantiorem existimat, Philip. 2. vers. 3.

Opus autem suum] Huic impedimento φιλαυτίας verum affert remedium, nempe probationem operis sui, ut nimirũ quisq; probet opus suum seorsim apud semetipsum, non attendendo ad opus alterius, aut opus suum ex alterius opere æstimando: Sunt enim qui alioqui per se infirmi facta comparatione cum aliis quos vident se inferiores, materiam aliquam sese efferendi inde arripiant.

Et tunc in] Probationem operis sui, non aliam suadet unicuique duobus argumentis, primum argumentum est à gloriatione, quam in semetipso habebit, & non in alio, si opus suum probet nulla comparatione habita cum alterius opere. Qui enim se ex aliis æstimat, & opus suum confert cum opere alterius, totam gloriationis materiam extra se habet in alio; simpliciter verò nihil habet in quo jure gloriari possit. Gloriatio autem hæc est bonæ conscientiæ in iis, quæ officii nostri sunt & vocationis, per gratiam Dei fideliter & sincerè obeundis, cujus exemplum habemus in Paulo Act. 23. vers. 1. & 2. Cor. 1. 12.

Nam unusquisque] Secundum argumentum à justa compensatione operis cujusque, quæ futura est ultimo illo die, ut quisque operatus est, ita mercedem reportabit suorum non alienorum operum: unde sequitur examinanda nobis esse opera nostra, non aliena. Portare onus aliter hîc accipitur quàm versu 2. etsi utrobique allegoricè sumatur: Nam nihil aliud est hoc

loco

loco quàm ſuorum factorum rationem reddere, & recipere mercedem ſui operis pro ipſius operis ratione, gloriam quidem, & honorem & pacem, ſi opus bonum; oppreſſionem verò, & anguſtiam ſi opus malum fuerit, Rom. 2. 9. 10.

Communicet autem] Quartum præceptum ſpeciale, de beneficentia erga paſtores; quibus tenetur grex communicare res omnes ad hanc vitam ſuſtentandam neceſſarias. Sermonis nomine κατ' ἐξοχὴν intellige, ut ſæpe aliàs, doctrinam Euangelii, pro qua communicata compenſationem poſtulat bonorum hujus vitæ: non quòd aliqua ſit inter iſta proportio (nam quæ poteſt eſſe æqualitas inter victum corporalem, quo naturalis hæc vita ſuſtentatur, & ſpiritualem quo animæ paſcuntur ad vitam æternam, inter bona terrena & cœleſtia?) ſed ut à majori oſtendat indignum eſſe, ſi miniſter res cœleſtes gregi communicans corporalibus hiſce bonis à grege fraudetur. Sic enim apertiſſimè argumentatur 1. Cor. 9. 11. Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnũ fuerit ſi nos veſtra carnalia meſſuerimus: Similis ratio eſt Rom. 15. 27. Porrò de officiis gregis erga paſtorem, vide 1. Corint. 9. 6. & deinceps, 1. Theſſ. 5. 12. 13. 1. Tim. 5. 17. Heb. 13. 17. & alibi paſsim.

Ne fallimini] Occupat prætextus quibus excuſare poſſent avaritiam ſuam, ut ſunt ingenioſi admodum homines in quærendis ſubterfugiis, quibus Euangelii præcones debita bonorum communicatione fraudent. His omnibus prætextibus opponit Deum, qui cum omnia intueatur nullis hominum quantumuis ſpecioſis prætextibus poteſt irrideri. Ad hanc reſponſionem accedit admonendo eos ne fallantur: Senſus igitur eſt, putatis vos ſpecioſis veſtris prætextibus poſſe excuſare avaritiã veſtram, ſed fallimini: Res enim vobis eſt cum Deo cujus legati ſunt Euangelii doctores. Verbum μυκτηρίζεται irridentis geſtum exprimit, quaſi nares attrahentis.

Quicquid enim] Probat Deum non irrideri, à iuſta compenſatione quam rependit operibus hominum, quam exprimit per allegoriam Apoſtolo ſatis frequentem,

tem, ut 1. Cor. 9. 11. & 2. Cor. 9. 6. ubi sumptus comparat sementi, lucrum autem messi, quam pro sementis ratione Dominus suo tempore redditurus est.

Nam qui seminat] Proximam allegoriam distributione explicat. Qui seminat carni metit interitum: Qui verò seminat spiritui, metit vitam æternam. Seminare carni hoc loco est, præsentis hujus & perituræ vitæ commoditatibus inservire, in easque tantùm opes suas omnes impendere nullo futuræ vitæ respectu; quod quicunque faciunt metunt interitum, & mortem æternam. Seminare spiritui est, sumptus facere in eas res quæ ad pietatem & religionem pertinent, eoque in iis faciendis, ad cœlestem illam & spiritualem vitam inprimis respicere; quod quicunque faciunt, metent gloriam & vitam æternam. Observa igitur, minimè nobis perire quod in ministros Euangelii impenditur, ut vulgò homines putant, quum inde nobis in cœlis æternæ vitæ thesaurum recondamus.

Porrò ne benefaciendo] Quintum speciale præceptum, quo proximè superius quodammodò extendit, ab hypothesi transiens ad thesin: Nam proximè beneficentiam erga ministros Euangelii commendavit; nunc verò eam erga omnes commendat, ut quantum in nobis est, aliorum omnium necessitatibus communicemus, impertiendo ei cui opus fuerit, ut loquitur Eph. 4. 28. Verùm Apostolus non simpliciter dicit benefaciendum, sed, non segnescendum in benefaciendo: qua loquendi forma non tantùm innuit torporem illum in quem omnes natura propensi sumus (natura enim omnes in benefaciendo segnescimus) sed etiam significat multa esse extra nos in aliis quibuscum nobis res est, quæ nos reddere possunt ad benefaciendum segnes & tardos, quæ est aliorum ingratitudo, cujus solius si ratio à nobis habeatur, necesse est in benefaciendo segnes evadamus. Apostolus tamen monet, non propterea nobis in benefaciendo segnescendum.

Tempore enim] Ratio est à compensatione beneficentiæ, quam etsi jam non videamus, suo tamen tempore recipiemus

recipiemus à Domino ut non ſit quod movere nos debeat, aut à benefaciendo deterrere hominum erga quos benefici ſumus, ingratitudo. Perſiſtit autem in eadem allegoria quæ fuit verſibus præcedentibus.

Si non elanguerimus] Ut beneficentiæ noſtræ fructum ſuo tempore metamus, requirit perſeverantiæ conditionem: niſi enim perſtiterimus in finem, nihil prodeſt quantacunque anteactæ vitæ beneficentia.

Nempe igitur] Ex proximo argumento concludit benefaciendum eſſe, & concluſionem tum temporis reſtrictione, tum beneficentiæ objectis illuſtrat.

Dum tempus] Significat conſtitutum eſſe certum tempus à Deo quo benefaciendum nobis ſit; quod ſi beneficentiæ operibus vacuum ſinamus præterire, non ampliùs benefaciendi locus relinquitur. Superiori verſu metendi tempus quoddam proprium aſsignavit, quod quidem futurum eſt in altera illa & glorioſa vita: Nunc autem tempus ſerendi, hoc eſt, benefaciēdi definit, quod hujus vitæ terminis includendum eſt, cùm poſt hanc vitam ceſſatura ſint omnia charitatis officia omniſque benefaciendi facultas auferenda ſit. Similem reſtrictionem vide Heb. 3. 13. Exhortamini alii alios quotidie, quoad appellatur dies hodiernus.

Erga omnes] Oſtendit quibus ſit benefaciendum: benefaciendum eſt in genere omnibus, etiam inimicis noſtris qui nos oderunt, ut præcipit Chriſtus Matth. 6. 44. Sed inprimis obligati ſumus ad beneficentiam erga fideles & ſanctos, quibus arctiſsimis quibuſcunque conjunctionis vinculis uniti ſumus. Nam quò major eſt cōjunctio ſive naturalis ſive ſpiritualis, eò major obligatio eſt ad benefaciendum. Vocantur autem fideles hoc loco domeſtici fidei, quòd omnes verſentur in eadem Dei domo, hoc eſt, eccleſia quæ Dei domus vocatur 1. Tim. 3. 15. Heb. 3. 2. In quam nemini patet aditus, niſi per fidem, qua omnia eccleſiæ membra inter ſe coadunantur.

11 *Videtis quàm longis literis vobis ſcripſerim mea manu.*

12 *Qui-*

12 *Quicunque volunt ſpecioſi apparere in carne, ii cogunt vos circuncidi, tantum ne ob crucem Chriſti perſecutionem patiantur.*

13 *Nam ne ipſi quidem qui circunciduntur Legem ſervant: ſed volunt vos circuncidi, ut de veſtra carne glorientur.*

14 *A me verò abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti: per quem mundus mihi crucifixus eſt, & ego mundo.*

15 *Nam in Chriſto Jeſu neque circumciſio quicquam valet, neque præputium, ſed nova creatio.*

16 *Et quicunq; ſecundum hanc regulam incedent, pax erit ſuper eos & miſericordia, & ſuper Iſraëlem Dei.*

17 *De cætero nequis mihi moleſtias exhibeto: ego enim ſtigmata Domini Jeſu in corpore meo porto.*

Videtis quam] Concluſio epiſtolæ hujus, in qua ad detegendum pſeudoapoſtolorum ſucum, & Galatarum animos à falſo ipſorum doctrina avocandos, ſe cum iis comparat. Ad hanc concluſionem tranſit per locum attentionis, quo excitat Galatas ad inſpiciendum laborem ſuum in ſcribendo ad ipſos, quem amplificat primum à literarum prolixitate, deinde à ſcribendi inſtrumento, quòd ſua manu ſcripſerit. Senſus igitur eſt quaſi diceret: hæc hactenus tam prolixè ſcripta ſunt mea manu, quod reliquum eſt ſic habete.

Mea manu] Solebat Paulus ut plurimum in ſcribendis epiſtolis ſuis amanuenſis opera uti, & ſalutationem poſtremã ſua manu exarare, ut veriſimile eſt ex 2. Theſſ. 3. 17. & Coloſſ. 4. 18. & Rom. 16. 22. Tertius apertè dicitur deſcriptor epiſtolæ ad Romanos. Hanc tamen epiſtolam profitetur Apoſtolus ſe ſua manu ſcripſiſſe, ut inde Galatis conſtaret quàm ſeriò pro ipſorum conſtantia in veritate Euangelii laboraverit.

Quicunque volunt] Concluſio ipſa; in qua comparatione facta quaſi in tabula depingit ante oculos Galatarum, pſeudoapoſtolorum ingenium & ſuum. In protaſi comparationis habes factum pſeudoapoſtolorum & facti finem.

finem. Cogebant Galatas circumcidi, & circumcisione ad salutem necessariam esse docebant in eum tantum nem, ne persecutionem paterentur ob crucem Christi hoc est, sinceram doctrinam Euangelii de salute per sc lam Christi crucem obtinenda non admixtis ceremo niis legis. Nam circumcisionis, & rituum Mosaicorum doctrina conjuncta cum doctrina Euangelii & cruc Christi, tollebat offensionem illam omnem qua offen debantur Judæi prædicatione crucis Christi: Ideoqu Judæi neminem persequebantur, nisi eos tantùm qu sublatis prorsus legis ceremoniis, solam Christi crucem prædicabant, ut Apostolus suprà docuit 5.11. Ego au tem, inquit fratres, si circumcisionem etiam prædico quid adhuc persecutionem patior? quasi diceret, Si cir cumcisionem unà cum Christo prædicarem, non patere persecutionem, cum Judæi neminem persequantur qu quovis modo legis ceremonias prædicat, sive cum Chri sto, sive sine Christo. Observa igitur hanc falsorum do ctorum notam esse, velle Christum docere sine persecu tione; ac proinde paratos esse potiùs quovis modo sincc ram Euangelii doctrinam adulterare & veritati quævi mendacia admiscere, quàm ut aliquam persecutionem ferant. Nam docendi finem proponunt sibi, non Chri stum, sed seipsos & commoda sua, quibus vel rejecto Christo semper volunt frui. Ideoque de iis sic loquitur Apostolus Philip. 2.21. Quæ sua ipsorum sunt quærunt, nõ quæ sunt Christi Jesu: & postea 3.19. Quorum Deus est venter. εὐσχημοσύνην est pulchram speciem ostentan ad hominum gratiam aucupandum, quod quidem fece runt pseudoapostoli prædicando externas legis cere monias, quæ hoc loco carnis nomine significantur.

Nam ne ipsi] Probat pseudoapostolorum hunc tantùm finem esse, dum cogunt Galatas circumcidi, ut ne persequutionem patiantur, per remotionem illius fini quem ipsi Galatis prætendebant per occupationem poterant Galatæ objecisse, at volunt nos circumcidi ut serv/emus legem (hoc enim pseudoapostoli doctrina circumcisionis prætexebant:) Ergo non hic eorum fini

est

est, ne persecutionem patiantur. Respondet Apostolus, tollendo hunc finem ex eo quòd ne ipsi quidem qui circumciduntur legem servent. Argumentum potest esse in hanc formam, Si cogerent vos circumcidi ut legem servetis, ipsi qui circumciduntur legem servarent: at ne ipsi quidem qui circumciduntur legem servant: Ergò non eo fine volunt vos circumcidi ut legem servetis. Fuit quidem circumcisionis finis in se obligatio ad totius legis observationem, cujus basis erat circumcisio, id quod docet Apostolus suprà 5.3. Testor omni homini qui circumciditur eum debitorem esse totius legis servandæ, quia ut eo loco ostendimus, circumcisio initiatio quædam fuit ad legem universam, & circumcisus quasi nomen suum dabat Mosi legislatori ad legis Mosaicæ observationem sese obligans. Verùm pseudoapostoli hunc finem neque in sua, neque in aliorum persona respiciebant, sed id tantum in doctrina circumcisionis ante oculos habuerunt, ut inita cum Judæis gratia persecutionem vitarent.

Sed volunt vos] Remoto circumcisionis fine quem prætexebant pseudoapostoli, redit ad verum finem, nempe, ut ipsi de carne Galatarum glorientur, hoc est, ut ex mutilata per circumcisionem carne vestra venditent se Judæis, quasi totidem proselytos ad Judaismum adduxissent. Porrò hic finis non tam idem est cum eo qui fuit versu superiori, quàm cum eo conjunctus: nam per circumcisionis doctrinam gratiam cum Judæis ineuntes, non tantum persecutionem effugiebant, sed etiam gloriationis materiam apud Judæos captabant ex aucto circumcisorum numero.

A me verò] Antapodosis dissimilitudinis, in qua Paulus se describit aversando, & removendo à se illum docendi finem quem sibi proponebant pseudoapostoli, & aliam quamcunque similem gloriationis materiam: assumit autem unam crucem Christi tanquam idoneam materiam in qua glorietur. Per crucem Christi hîc intelige Christum crucifixum & mortuum pro nobis, qui unica est materia gloriationis omnium fidelium, 1. Cor. 1

vers. 31. 2. Cor. 10. 17. Philip. 3. 3. propter quem alia omnia etiam quæ alioqui lucra sunt, ducunt esse damnum & stercora Philip. 3. 8. Quem solum sibi statuunt cognoscendum. 1. Cor. 2. 2. Non decreveram quicquam scire inter vos, nisi Jesum Christum, eumq; crucifixum. Sensus igitur hujus loci est, quasi diceret, alli gloriantur de carne vestra recusantes persecutionem pati ob crucem Christi; ego in solo Christo glorior, ipsiusque cruce, cujus causa omnia ferre sum paratus. Ideo Rom. 5. 3. Profitetur se gloriari etiam in oppressionibus, quæ cum Christi cruce conjunctæ sunt. Observa hanc sinceri doctoris notam esse, semper habere sibi Christum ante oculos, in ejus cruce gloriari, non quærere quæ sua sunt sed præ Christo omnes hujus vitæ commoditates pro nihilo habere, afflictiones quascunque pro Euangelio patienter perpeti, ejusque veritatem libenter vel sanguine suo obsignare. Philip. 2. 17. Quinetiam si pro libamento offerar super hostia sacrificioq; fidei vestræ, gaudeo, & gratulor omnibus vobis.

Per quem] Ratio cur in solo Christo crucifixo sive Christi cruce glorietur, ab effectis ipsius in se, quòd crucis hujus virtute mundus ipsi crucifixus sit, & ipse mundo. Mundus hîc significat omnia mundana & externa quæ ad veterem hominem pertinent, & efficaciam Spiritus in nobis sanctificandis impediunt, aut nos in Christi apprehensione remorantur; cujusmodi fuerunt omnes ritus Mosaici, & alia omnia in quibus homines extra Christum gloriantur. Quorum duæ species sequenti versu enumerantur, circumcisio in qua tantopere gloriabantur Judæi, & præputium quod Gentium erat peculiare.

Nam in Christo] Ratio qua probat se mundo crucifixum & mundum sibi, virtute Christi crucifixi: In Christo sola prodest nova creatura: Ergo in Christo mundus mihi crucifixus est, & ego mundo. Antecedens ostenditur ex remotione rerum quæ novæ creaturæ contrariæ sunt, tanquam inutilium in Christo, qualos sunt circumcisio & præputium, quibus duabus speciebus intelliguntur

tur omnia externa quæ pugnant cum nova creatura. Nova creatura hoc loco sumitur pro imagine Dei quam reparat in nobis spiritus Christi, dum creat in mentibus nostris novam ac cœlestem lucem, in voluntate rectitudinem, & in omnibus affectibus sanctitatem. eodem nomine appellatur etiam 2. Cor. 5. 17. & Eph. 4. 24. vocatur novus homo, qui secundum Deum conditus est ad justitiam & sanctimoniam veram.

Et quicunque] Commendat aliis hanc gloriationem in sola cruce Christi, tanquam canonem & regulam, secundum quam Apostolis ipsis in ministerio exemplo suo incedendum sit. Argumentum commendationis est à beneficiis quæ consecuturi sunt à Deo, quicunq; hanc regulam tenent, quæ duo hîc nominantur, pax & misericordia. Pacis nomine intelligo finem omnium Dei in Christo beneficiorum adeoque fœlicitatem ipsam, & summum hominis bonum quò referuntur præcedentia omnia in Christo beneficia: nam ad eam tendit prædestinatio nostra, vocatio nostra, justificatio nostra: Justificati per fidem pacem habemus erga Deum, Rom. 5. 1. Philip. 4. 7. dicitur pax Dei quæ superat omnem intellectum, quæque præsidio est cordibus nostris & mentibus nostris per Jesum Christum. Misericordia autem hîc significat omnes spirituales benedictiones, quæ ex Dei erga nos misericordia in Christo proveniunt: cujusmodi sunt remissio peccatorum, justificatio, sanctificatio, vita æterna, estque causa pacis hujus de qua diximus: utraque autem existit ex Christi cruce, Rom. 3. 25. Coloss. 1. vers. 20.

Et super] Beneficia hæc incessuris juxta regulam illam promissa nominatim applicat ad Israëlem Dei, hoc est, totam Christi Ecclesiam, cujus Israël jam olim typus fuit. Israëlem Dei vocat, ut distinguat ab Israële secundum carnem tantùm, qui etsi erat ex patre Israële, non tamen fuit verus Israël, Rom. 9. 6. qui solus censetur Israel Dei, cujus laus non est ex hominibus sed ex Deo, ut Apostolus verum Judæum definivit Rom. 2. 29.

De cætero nemo] Comparationem hanc sui & pseudoapostolorum

doapostolorum epiphonematicẽs concludit, quasi cum authoritate graviter interdicens ne quis sibi molestias exhibeat. Molestias hîc intellige non de corporis afflictionibus, quas libenter omnes obivit Paulus, & obiturus erat; verùm de invertenda doctrina Euangelii, eaque adulteranda, importunè accersitis ad eam legis ceremoniis.

Ego enim stigmata] Ratio interdicti ab adjunctis stigmatis quæ gerebat in corpore suo. Stigmatum nomine intellige vulnera, carceres, lapidationes, plagarum vibices, denique omne genus ærumnas & persecutiones quas pro euangelio sustinuit Apostolus, quæ fusè enumerantur 2. Cor. 11, 23. & deinceps. Metaphora est à servis fugitivis & maleficis, quibus inurebantur certę aliquæ notæ non sine magna eorum infamia: verùm hæc stigmata Christi, ut ut mundo ignominiosa videantur, adeò tamen sunt pretiosa coram Deo, ut ea non dubitet Apostolus omni pseudoapostolorum gloriæ opponere, eorumque, quasi insignium Christi, fiducia authoritatem sibi sumat interdicendi ipsis ne sibi molestias exhibeant. Stigmata hæc vocat Domini Jesu, quia propter Dominum Jesum erant inflicta: Non enim quævis stigmata tantam pariunt fiduciam & audaciam; verùm multum refert quæ & cujus sint stigmata quæ gerit quis in corpore suo (Martyrem enim, ut rectè ait Cyprianus, non facit pœna, sed causa) sola Jesu Christi stigmata, quibus doctor verus & sincerus esse agnoscitur, eam habent vim ut molestias quascunque falsorum doctorum arcere possint.

18 *Gratia Domini nostri Jesu Christi sit cum spiritu vestro, fratres, Amen.*

Gratia Domini] Valedicens Galatis concludit epistolam, eandem iis gratiam Domini Jesu Christi comprecatus quam in salutatione epistolæ exoptavit. Id enim Apostolo nostro solenne est in omnibus epistolis suis, ut à gratia exorsus in gratiam desinat; ut nobis ejus exemplo

exemplo discendum sit & salutationes nostras omnes & valedictiones positas esse in Christi gratia, à qua & in primis nostris congressibus sermonis initium sumendum est, & in quam dum alii ab aliis digredimur sermonem nostrum oportet desinere, ut Christo perpetuò sit gloria gratiæ suæ.

Cum spiritu] Sedem gratiæ propriam designat, spiritum nimirum sive animum: gratia enim Christi res interna est & spiritualis, ideoque interiorem & spiritualem hominis partem primùm omnium occupat: postquam autem in animo & spiritu hominis sedem sibi delegit, tum diffundit se per totum hominem, per corpus, per membra corporis; egreditur denique foras in ipsas actiones externas. Ut autem sedes, ita sensus gratiæ primùm ac præcipuè est in animo: in anima enim sentitur fides, in anima sentitur justificatio & peccatorum remissio, sentitur pax Dei quæ superat omnem intellectum, sentitur denique glorificatio per Jesum Christum, cui cum patre & Spiritu sancto, sit omnis honor & gloria in seculum. Amen.

FINIS.